32-3-13-3

G. f. 18. | 37. 4. 16 | H 117
VXII.

Miscta

1 ad Reges &c. ad haereticum
&c. anti abolitionem
de la Vacquerie

2 Responsio ad quatuor ar-
ticulos Contra S. Missam. Ornati
del Freux Ben.

3. Bernardini Tomitani intro-
ductio ad sophisticos elencham-
chos Aristotelis &c

4. Mancini Bartholomaei de
Logica l. 3.

5 Le prodezze di Rodomontino canti 4.

6 Diversi. Li canti di Ricciardetto innamo-

7 Per la redenzione degli schiavi Canti

8 De Sacris Ritibus Cheses

SIE[illegible] VITTU[illegible]

34-3-B-7- 118

BERNARDINI TOMITANI ARTIVM DOCTORIS INTRODVCTIO AD SOPHISTICOS ELENCHOS ARISTOTELIS.

EIVSDEM BREVIS METHODVS DI*luendorum paralogiſmorum per diuiſionem: præter illa quæ Ariſtoteles habuit in Elenchis*

QVAM METHODVM EX DIALOGIS PLATONIS ET EX ARISTOTELE NVPER INVENIT.

ADIECTA SVNT FAMIGERATA VE*terum Sophiſmatum exempla: ad exercitationem adoleſcentum.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS M D XLIIII.

Digitized by Google

BERNARDINVS TOMITANVS AR-
tium doctor DANIELI *Priulo Patritio Veneto. S.*

QVanquàm me quotidianæ interpretationis, quam ego hiſce temporibus in Ariſtotelis Dialectica explicanda, aſſumpſi, cura et ſtudium impediat, quo minus in hoc genere exercitationis omne tempus, plenamq́; operam conſumere poſſim; illud tamen ſummè neceſſarium eſſe cognoſcebam cum his qui pluribus de cauſis aliis debent, tum his, qui iuſtas hominum reprehẽſiones effugiunt, nec uitam ocio ac ſilentio ueluti pecora tranſeũt, nullis eſſe laboribus et uigiliis parcendum, quibus bonarum artium ſtudioſis uel gratiſſimam rem efficere omni ſtudio ac propenſione contendant.. Quid enim aut honeſtius, aut in hac uita homini præclarius eſſe poteſt, quàm poſteritati bonis literarum monumentis prodeſſe? Nec poſteritati ſolum, ſed & his qui adhuc ſuperſunt, nobisq́; familiariſſime utuntur: & quorum conſuetudo inter cętera, quibus humanitas noſtra mirifice delectatur, nobis iucundiſſima eſſe ſolet. Quid uel pulchrius, uel admirabilius, quàm aliis oſtendere, te in agendo ita ſummam laudem conſecutum eſſe, ut omne tempus uitę in actionibus exegiſſe iudicent, nihil uero temporis in contemplatione rerum conſumere potuiſſe: aut te ita in contemplatione excellere, ut ad agendum nullum temporis ſpatium habuiſſe exiſtiment, cum tamen utrunq; adeo perfeceris, ut omne in utroq; genere pũctum tuleris: Ne igitur male de ſtudioſis merear, præſertim de te, quem & unice diligo, & cui me cariſſimum eſſe planè percipio, optimum & laudabile illud eſſe conſtitui, ut ſu[illegible]atis paucis

quemquam noris, aliquo te litterario munere uel iucundiſſimo honeſtarem. Facultatem aliam hoc tempore ſanè maiorem non habeo, pręter hanc, quam modo nactus ſum, ut Ariſtotelis librum de SOPHISTICIS ELENCHIS illuſtrarem, illuſtratum ad te mitterem: qui pręter animi mores, & mitiores litteras, pangendaq́; carmina ingenium ad Philoſophiæ ſtudia mirificè propenſum habes: ratus nihil eſſe homini præclarius, poſt auitum familiæ ſplendorem, patritiumq́; genus, quod & maiorum tuorum gloria & uirtute tibi cōparaſti, poſt egregiam & præclaram animi dexteritatem, tum corporis tui indolentiam, animi diuitias cum fortunæ opibus coniungere: quo nihil in hac uita iucundius, nihil ingenuo ac liberali animo pręclarius accidere poteſt.

Hanc itaq́; induſtriam, & diligentiam noſtram DANIEL CLARISSIME ut grato ita libenti animo accipito: quæ & ſi cum maximis officiis tuis conferenda non ſit, ſit tamen tuę uirtutis ueluti ſempiternum apud homines monumentum, meæ uero erga te pietatis & beneuolentiæ teſtimonium. Propterea illud mihi non exiſtimem eſſe addubitandum pluris apud homines tui nominis, quàm iniquorum ualere authoritatem. Quod ſi dabitur, ego omni ſtudio ac propenſione enitar ut meliora indies ac grauiora, quę apud me ſunt permulta, illuſtrentur. Quæ & ſi maiorem eloquētiam, aut grauitatem, aut ſtudium, aut diligentiam deſiderabunt nō tamen ſummam teſtificationem meorum in te officiorum, uel amoris erga te mei deſiderabunt. Tu fac, quod facis, ut me ames. Nullum enim mihi uel gratius, uel iucundius beneficium dare potes amore tuo ſingulari: quem ita mihi intelliges eſſe gratiſſimum; quemadmodum uehementer te amari à me omnes intelligunt. Vale.

Google

120

INTRODVCTIONIS AD SOPHISTICOS ELENCHOS ARISTOTELIS LIBER PRIMVS.

EA EST DEMVM OMnium artium & diſciplinarum uoluptas, ut non tantum ea tradant, quæ ad artis uſum cognoſcendum conferunt, ſed ut illa proponant, à quibus cohercendi eorum ſunt animi, qui doctrinę modum, ſiue artis exercitationem conſequi moliuntur. Nam & ſi rectum ſui & obliqui cenſuram facere uideatur, interdum tamen ſit ut & aliqua obliqui ratio habenda ſit. Quamobrem illud euenit ut omnis ars, omniſq; inſtitutio hæc duo cōplectatur ueluti duo crura, quibus uel unà, uel ſeorſum neglectis claudicare uniuerſam artem neceſſe ſit. Primum ſunt ea præcepta, quibus cōficitur, traditurq; ars illa, demum ea ſunt, quæ docent prauum eorum uſum, quę fugienda atq; euitanda condiſcentibus artem accedūt. Per ſimile in logica quę ratiocinatrix facultas eſt, uſu uenit, ut cum ea ſit ratiocinandi recteq; colligendi inſtitutio, diſſerendi omne problema uiam aperiat, ac ſuarum præceptionum formulis recto quodam ueluti filo diſputandi peritiam doceat. Propterea hęc prauam diſſerendi rationem inſtituit, quæ ratio ueluti rectæ diſputandi peritiæ uitium eſt atq; deliquiū. Recta autem ratiocinādi ratio ad demon

ſtratiuum ac dialecticũ attinet, quorũ alter ueritatem ueluti ſcopum quendam animo conſtituit, alter diſſertationem in utranq; partem molitur. Hic ſinceram diſputandi uim imitatur, ille permixtam redargutionibus percunctationibusq; diſſertationem excogitat: uterq; tamen ueritatis ſpeciem excolit, ac ueri ſtudio teneri uidetur. At ſophiſticus ſub ueri quadam adulterina ſpecie ingenia eorũ fallere nititur, qui ſuis ineptiis deterriti minus ac minus diſſerendi artem profitentur: maultq; uideri ſapiens quam eſſe. Propterea iam de his à nobis conſcribendus eſt liber, quo & facillime, & quã poterimus breuiſſime iuxta Ariſtotelis dogmata ratio diluendorum ſophiſmatum tradatur, quam prouinciam plæriq; ueluti inutilem ac ſuperuacaneam recuſant, quod ineptiſſime dici adſtipulantur quicunque libros Ariſtotelis diligenter animaduerterint. Alii uero non eam penitus deſpexerunt, uerũtamen leuiſſime tractandam arbitrantur; quod ut parum commode, ita & temere dictum eſſe omnes intelligũt: quod ſtatim ex ipſo rei fructu atq; uti litate cognoſcemus. Primum enim ualde utile eſt quam dili gẽtiſſime in ſermone uerſari, propterea primus qui ex Elenchis innaſcitur fructus eſt cognoſcere quot modis unumquodq; dicatur, quo nam pacto aliquid unum & multiplex ſit, quid uox quid res ipſa, deniq; quid orationem quid rem ipſam conſequens ſit cognoſcatur. Alia eſt utilitas ut noſtris hæſitationibus ſatisfaciendo poſſimus alienis quæſtioni bus reluctari. Tertia atq; præcipua ea eſt ut inanem loquacium importunitatẽ ægre ferendam demus, atq; ita cõtundamus, ut nihil illa iniucundius eſſe peritis oſtendamus, cum tamen gnariſſimos ſophiſtæ ſeſe faciant ac cuiuſcunq;

cognitionis exercitatos, eorum dementia & ſtoliditate nullum finem accipiente. Nam ſophiſtarum uenenum bifariã iacitur, tum aduerſus ueritatem, quæ finis eſt ac perfectio contemplatricis animę facultatis, tum aduerſus uirtutẽ quæ eius partis abſolutio eſt, quæ in agendo ac bene beateq; uiuendo conſiſtit. Hoc genere loquacitatis rhetores quoſdã redundaſſe dicunt: præſertim Gorgiam & Hippiam, tum Protagorã ac Prodigum: quorum ſermo ut hallucinatorius erat & loquax, ita tendiculis & captionibus refertiſſimus.

Scripſimus tamen (qualiacunq; futura ſint) hæc, non ut his quę ab ipſo Ariſtotele conſcripta ſunt, uel ipſo etiam Alexandro eius miro interprete, abſolutionem & ueluti integram manum afferre ſtatuiſſemus (Sues enim non inſtituunt Mineruam, ut in adagio apud græcos eſt) ſed ut breuitate orationis facilitateq; ſentẽtiarum, ſummam, arduam atq; perpetuam Ariſtotelis orationem molliremus, tum eorũ animos recrearemus, qui tantæ lectionis anxietate defeſſi, facilioris ſtudii deſiderio tenerentur. Adde (quod noſtri laboris prima cura fuit) ut quę ab Ariſtotele multis uariisq; diluendi rationibus ſophiſmata tradebantur, unico ac ſimplici eius exemplo nos diſſoluta faciamus: quod opus non minus fructuoſum fore ſperauimus & adoleſcentibus gratum quam recens & inauditum hactenus fuerit. Sed quoniam diſſertandi peritiam ex logica proficiſci ſtatuimus uidendum eſt quot modis diſceptatio fiat.

Quid diſputatio proprie ſit, quot modis accipiatur, quid actiuæ partis & ſpeculatricis finis dicatur. Caput II.

INterdum diſputatio ab uno homine duntaxat fit, & potius frequens animi cogitatio dicitur quam diſputatio. quod Cicero *aliquando uiſus eſt de Scipione dixiſſe. nam ipſum nunquam minus eſſe ſolum inquit quam cum ſolus eſſet, hoc enim ad frequentes animi cogitationes refertur. Si uero diſputatio ad plures tendat, uel à pluribus conficiatur, iam non diſputatio, ſed nugatoria quędam oblateratio dicitur.* Hoc *fit ubi ſermones inconcinni atq; pueriles habentur, ſi quidem ad inſtar fluctuum uento loquacitatis iactantur, ſæpenumero fit inter duas perſonas quoties hic dicit ille reſpondet: atq; eo tempore uera & legitima diſputatio habetur, utranq; diſputationis perſonam uiſus eſt tetigiſſe* Ariſtoteles *cum ab initio primi topicorũ dixiſſet,* Pro*poſitum quidem negocii eſt methodum inuenire, per quam poterimus ſyllogizare de omni propoſito problemate, hactenus enim partem urgentis explicauit, nunc partem addicit reſpondentis, & ipſi diſputationem ſuſtinentes nihil dicemus repugnans. Hæc autem diſputatio ita à nonnullis definitur ꝙ ſit rationis uis quædam quæ aut uno aut pluribus ſyllogiſmis utitur aduerſus aliam perſonam, quibus uel propria aſſeratur ſententia, uel aliena confutetur ex qua definitione conſtat, diſputationem habere duplicem partem aſſerendi alteram, alteram confutandi. Sic enim fit ut diſputatio non mentis opus ſit, non ſenſus, non opinionis, non phantaſiæ, ſed rationis, quam uim* Græci διάνοιαν *appellant*

quod Ioannes grammaticus in prioribus reſolutiuis diligentiſſime animaduertebat. Adde ꝙ diſputationem non ex unica haberi reſponſione ſicut nec uno fieri tantum ſyllogiſmo conuincimus, ſed pluribus ac frequenter iteratis conſtat, tum non plures quam duas habere perſonas, tum in diſceptatione, aut affirmatiuam colligi, aut negatiuam ſententiam, iuxta illud quod à nobis propoſitum eſt agendum dictum eſt etiam ex ſyllogiſmis perfici, quod & de Enthimematibus intelligendum uenit, quæ detruncati quidam ſyllogiſmi ſunt: nam & inductione aliquando perficitur. Cæterum diuiſione, aut compoſitione, aut reſolutione non fit: his tamen ornatur magis diſputatio quàm roboretur. Siquidem horum inſtrumentorum quæ diximus neceſſitatem imbecillam ac inopem aliquando ex ipſo Ariſtotele eſſe docuimus: quod abunde aliis in locis declarabitur. Sed diſputationum genera quatuor eſſe teſtatur Ariſtoteles primum διδασκαλικὸν *appellat, deinde alterum quo diſputamus* διαλεκτικὸν *uocatum, tertium prętereа, quod* πειραστικὸν *dicitur, quo periculum de ingenio doctrinaq́; alicuius facimus, poſtremo illud eſt, quod* ἐριστικὸν *nominant, dictum hoc modo quoniam eo genere rixamur ac contendimus: noſtri uero diſputationes haſce demonſtratiuā ſeu doctrinalem uocant dialecticam, tentatiuam & captioſam.*

Quorum definitiones ita Alexander & Latinus interpres Thomas ſcrutantur. Demonſtratiua ea eſt quæ ex ueris ac cognitis & cauſis propriisq́; ſcientiam affert: atq; hæc inter docentem pręceptorem & condiſcentem diſcipulum omnino uerſatur. Dialectica ex probabilibus aſſumptis in opinionem dirigitur. Tentatiua interrogantis percuncta-

tio eſt, ut de his quæ a reſpondente afferuntur aliquando periculum faciat. Sophiſtica eſt captioſa quędam perſuaſio, qua quis inapparentem ſapientiæ ſpeciem tendens, et apud uulgares inanem gloriam ambiens fallere reſpondentem nititur. Proinde ſophiſticus apparens ſapiens dicitur nō enim ueritatis ſtudio flagrat, ſed inopis & fucatæ ſapientię deſiderio potius tenetur. Quomodo vero falſum aliquando ſub veri ſpecie obrepat, illudatq; incautos, facile oſtenderimus, ſi quędam in moralibus his ſimilia produxerimus, quæ huic negotio peropportuna ac conſentanea uidebuntur. Eſt in moralibus ſummum bonū ſeu uirtus intentio ac ſcopus. Contingit tamē ut multis modis a bono declinet humana ratio, quoties uitium ſub recti ſpecie comprehendit, quod & Poeta aliquando uiſus eſt teſtatum reliquiſſe, decipimur inquit ſpecie recti. illud autem fit partim ex obiecti latentia, partim ex humanę rationis inopia, quæ bonum à malo, aut uirtutem à uitio ſecernere nequeat, quod & Ariſtoteles & Euſtrathius in Moralibus longa oratione cōprobāt. idem quoque iudicium in ſpeculabilibus. Nam cum in illis ueritas ſit ſcopus atq; intentio, fit plerunq; vt phantaſiæ iudicio ducti ea eſſe fingamus; quæ nullatenus uera ſunt: atq; in hunc modum à recto ueritatis tramite deflectimus. quod ſi falſum concipiat animus ſub ueri ſpecie opinabile falſum eſt: ſi uero fallendi propoſitum ſit, captioſa falſitas ſuboritur, de qua in præſenti habendus eſt ſermo. Hac de cauſa Ioānes grammaticus in prioribus ſophiſticum dixit ita fieri ſyllogiſmū, quoties humana ratio phantaſię conuerſa ea concipit quæ uera non ſunt, ueriſimilia tamen eſſe poſſunt: nam phantaſiæ opus liberius eſt ſenſu atq; intellectu. Siquidem intelle

ctus ea tantum cõcipere poteſt,quę uera ſunt,quoniam diametrum eſſe commenſurabilem nemo intelligit,authore Ariſtotele in poſterioribus.Pariter & ſenſus ea tantum percipit,quæ conſiſtentia ſunt: phantaſia etiam animi figmenta deprehendit, quæ ſibi uana animus conceptione effingit, nunquam tamen natura conſtare poſſunt quo fit ut phantaſiæ uis adplura ſeſe diffundat atq; hiet,quam intellectus & ſenſus: propterea ſophiſtica ratiocinatio rationis opus eſt ubi ſe ratio comitem phantaſiæ tradiderit,ac ſibi aſſeclam fecerit indiuiduam. Sed uideamus num ſophiſticæ rationem alio iudicio habere poſſumus:id.n.ex naturæ operibus alio pacto cognoſcitur.Etenim quę à Natura gignũtur,quędam ſunt quæ ex ipſo naturæ propoſito fiũt,ut homo erecta facie procedens,duobus cruribus,totidẽ lacertis ac quinq; digitis præditus,q́ ſi ipſe idem homo innaſcatur aut pluribus horũ membrorũ,aut deformatis & mutilatis particulis,totum id præter naturæ propoſitum fieri dicimus. Sic ubi ratio uerũ ratiocinium colligit, quod ipſa ambierat conſecuta eſt. Si uero falſam concluſionem ex apparentibus ueris aſſumptis efficiat; præter propoſitum aliquid efficit, quod ita monſtroſum eſt,quemadmodum illa apud naturam. Id quoq; ex rerum atq; entium ordine oſtendimus, quod & Philoponus in priorum commentariis oſtendit,quędã enim eiuſmodi ſunt,quorum generatio uniformis & impermutabilis eſt, ut ea omnia,quæ ſimpliciter neceſſaria appellantur:quædã uero licet nõ ſemper fiant,in pluribus tamen reperiri dicuntur,alia rariſſime cõtingunt.quę neceſſaria ac impermutabilia ſunt,ad demonſtratiuũ attinẽt ſyllogiſmũ,quę in pluribus ad dialecticũ,cætera uero ad litigioſum. Proinde illud

cōſtat rectè ab Ariſtotele factum eſſe, ut ad perfectam artis abſolutionem etiam de hoc genere ratiocinii duos libros, conſcripſerit, quos non de ſophiſticis Elenchis nuncupauit, ſed ſophiſticas potius redargutiones cuiuſce rei cauſam attulerunt Alexander & Philoponus hoc modo. Nam Ariſtoteles libros ſophiſticos edidit, ueluti ſalutiferum antidotum, quo ſophiſtarum ueneno afferre auxilium interdum poſſemus. Verum illud non ignorare oportet, quod cum de elenchis his ſophiſticis habenda ſit ratio, prius hanc ratiocinii ſpeciem definiemus, poſt à cæteris diſtinguenda eſt, quæ ad hanc inſtitutionem non attinent, ut propoſito eo de quo habenda ratio eſt, facilius cætera perſequamur.

Quid ſit Elenchus ſyllogiſmus, Captio quotuplex & cur Sophiſtica ratio dicta ſit. Cap. III.

Ἔλεγχος dicitur ἀπὸ τοῦ ἐλέγχειν quod deprehendere ſignificat, ipſe uero argumentum ſonat; unde & dialectica argumentatio hoc nomine appellari poteſt: uerum additur Sophiſticus, ut ſignificetur ea quæ per ipſum fit deceptio, atq; hoc modo à demonſtratiuo & dialectico ſyllogiſmo ſeiungitur, quoniam demonſtratiuus docet tantū immutabilemq; ſententiam perſuadet. Dialecticus fidem rei dubiæ facit, & opinabilem ueritatem conſequendā proponit. Quorum neutrum præſtat Elenchus iſte Sophiſticus: quem alii litigioſum, alii decipuloſum, alii cauillatoriū, alii captioſum, alii cōtentioſum, alii ſophiſticum appellant. quia uero captio fructus eſt & facultas Elenchi, hæc ita definitur. Captio eſt deprehenſio reſpondentis, cum ui rationis illaqueatus, decipitur. hanc nonnulli duplicem ſtatuunt, in uerbo & in ſcriptura, alii triplicem, in loquendo, ſcribendo

& pronunciando. Verum illud animaduertẽdum litigioſos ſyllogiſmos tria habere machinamenta, primum omniũ illatio eſt, ex qua tota uis Syllogiſmi conſiſtit, probatio eſt deinde ex qua dialecticus facultatem ratiocinandi ſumit, tertium eſt ipſa contradictio, qua firmatur conficiturq́; Sophiſtica ratio. Elenchus interdum reprehenſionem ſignificat uel comprehẽſionem, & idem ferè quod συλλαβὸς dicitur, latini nonnunquam indicem uocant. nam quemadmodum librorum indices pulchritudine & uarietate colorum: libros exornant, ita hi uidentur geſtantium habitui uenuſtatem & illuſtrationem quandam afferre. Sunt & Elenchi proceriores margaritæ, faſtigiatam longitudinem habentes propterea Iuuenalis.

Auribus extenſis magnos commiſit elenchos.

Proprie uero Elenchus cauillatoria ratio eſt, cuius tria eſſe genera teſtatur Ariſtoteles. Primum eſt ubi ſyllogiſmos in materia delinquentes facimus, qui ſyllogiſmi formam obtinent, uerum aſſumpta colligunt quæ probabilia uidentur, ſed non ſunt: ut in ſubiecto exemplo,

Omne lætum eſt amabile,
Mors eſt lætum, igitur
Mors eſt amabilis.

Alter ſyllogiſmus eſt, qui probabiles propoſitiones aſſumit, uerum ſyllogiſtam formam non ſeruat, ut in exemplo,

Omnis homo animal eſt,
Omnis equus animal eſt,
Omnis equus homo eſt,

Hic enim ex puris affirmatiuis aſſumptionibus fit in ſecunda figura. ſed tertium genus eſt eorum ſyllogiſmorum, qui [illegible] prauam formam ratiocinandi obtinent, tum [illegible]

teria peccant,ubi dixerimus,

Omnis homo eſt animal

Nullum riſibile eſt homo,igitur

Nullum riſibile eſt animal,

Qui in materia tantum peccant hi ab Ariſtotele litigioſi ap pellantur, nam ἐριστικὸς *litigioſus dicitur, is eſt qui aſſumptiones non probabiles ueluti probabiles colligit. qui uero in forma peccant Paralogiſmi dicuntur ſeu apparentes Elenchi. Pſeudographus uero ſiue falſigraphus quartum genus ſyllogiſmorum facit,& eſt ille qui detorquens demonſtrantem ex principiis ueris, ſed male acceptis, falſum oſtendit,exemplum eſt.*

Omnes lineæ à cētro ad circūferentiā ductæ æquales ſunt, Sed duæ lineæ à centro ad circunferentiam in non æqualibus circulis ducuntur,

Lineæ igitur illæ æquales erunt.

Falſa enim principii acceptio eſt, quoniam id intelligitur tantum in eodē circulo,non pluribus & inæqualibus. Hæc enim & non plures neq; pauciores differētię ſunt ſyllogiſmorum ſophiſticorum iuxta Ariſtotelis decreta.

Illud tamen animaduertere debent ſtudioſi, differentiam hanc ſumi inter pſeudographum ſyllogiſmū & litigioſum, ꝙ tametſi uterq; uideatur aſſumere propoſitiones non probabiles ac ſi probabiles eſſent,litigioſus tamen frequentius fit,quoniam ſeſe per omnes partes alicuius ſcientiæ diffundit. Pſeudographus uero circa principia ſcientiarum tantum uerſatur. Sed ut ſyllogiſmorum differentias uberius ac facilius teneant adoleſcentes,libet hanc methodum diuiſiuā ante oculos proponere,quæ ſuprema capita ſyllogiſmorum omnium docet hoc modo.



HAec enim diuiſio prima genera ſyllogiſmorũ diuidit, non alia ratione quam fecerit Ariſtoteles & in poſte

rioribus,& in topicis,& in libris Elenchorum. Non deſunt tamen qui dialecticos ſyllogiſmos multiplicant tum ex problematum ipſorum multitudine,tum locorum,præſertim ſecundum eos qui uel à ſubſtantia ducuntur; uel ipſam conſequuntur ſubſtantiã,uel à cauſis ſumuntur,uel ab effectibus, uel generatione,& corruptione,uel abuſibus,uel communiter accidentibus,uel extrinſecus, uel ab authoritate & rei iudicio,uel ſimilibus & paribus,uel proportione,uel maiore & minore,uel tranſumptione,uel oppoſitis & repugnãtibus, uel permutata analogia,uel mediis, uel diuiſione. Quod opus nimis anxiũ fore ac iniucundum recenſuimus. Latius tamen de his dictum eſt à nobis in topicis. Quę uero ad ſophiſticos attinent ſyllogiſmos ſequenti tabula diligentiſſime ſubiiciuntur.

Singula diuerſa multaq; ſignificant, Ae-
quiuocatio. ubi τὸ διπλὸν ἐνεργείᾳ ineſt.

Omnis in Elencho deceptio eſt, vel circa

Voces, uel
ipſas et uel ex eo q͞m

Compoſitę iūctęq; multa ſignificāt idq; vel

Vna eademq; pronunciatiōe Ambiguitas: ubi ſimiliter τὸ διπλὸν ἐνεργείᾳ eſt.

Diuerſa pronūciatione ubi τὸ διπλὸν utrinq; ineſt δυνάμει
Cōpoſitio.
Diuiſio.

Voci accidētia vt circa
Tonum, Spiritum et Accēt', ubi τὸ διπλὸν ē δυνάμει.

Habitum orationis quendam, Figura dictionis ubi τὸ διπλὸν eſt nec actu nec potentia ſed φαντασίᾳ ſolum.

Res & eſt vel

expoſitis numerato eo quod principio ponebatur.
unius & eiuſdem, &

quia oppoſitum non colligit id eſt, non

Secūdum idem ad idem eodem modo eodem tēpore
cōtradictionē

Docet ſuperior diuiſio quot modis in elencho fiat impoſtura, ſumptis primis duabus radicibus, quæ ſunt res ipſa atq; oratio: ſiquidem omnis deceptio aut in uerbo eſt aut in re, ut ſtatim propoſuit Ariſtoteles.

De conditionibus Dialectici, Metaphiſici ac Sophiſtæ: item de Sophiſtarum finibus quos terminos & metas uocant. Cap. IIII.

Dialecticæ artis prima conditio eſt, quod determinatam facultatem haud reſpiciat. deinde nihil proprie concludit: ſed tantum in communi materia: rurſus in hoc à diuina ſapientia differt, quod illius ſcientiæ ſubiectum eſt commune cum cæterarum ſcientiarum ſubiecto ex prædicatione, Dialecticæ uero ex applicatione. Poſtremo ex interrogatione procedendo diſputat in utranque partē, uel idiota, quanquam imperfectius quàm eruditus, reſpondentis ingenium tentando: ex quo tentatiua dicitur, Metaphiſica tātum citra interrogationem demonſtrat. ſed nec ignorare oportet, quāquam plura ſunt interrogandi genera proprie tamen hoc pertinere ad Dialecticum. quippe qui ob id interrogat, ut accepta quauis reſponſione fiat inſtantia. Percunctatio potius ad demonſtratiuum pertinet, qui interrogat, vt ſciat. Verbum enim πυσματικὴν percunctatoriam uertimus, quæ ea interrogatio eſt quæ gratia addiſcendi fit. ſicut decipiendi ſtudio, quæ ſophiſtica appellatur. Interrogat enim ſophiſta nō alia de cauſa, niſi ut audita reſponſione imperitū circumueniat, ac tendiculis illaqueet, quod facit quinque modis; quos metas uocant, & ſunt refellendo, mentiri co

gendo, rurſus abſurda loquendo, barbariſmos & nugationes committendo, unde illi fines prodeunt, quos Elenchum, Mendacium, Admirabile, Soleciſmũ & nugari dicunt. Hæc definitione cognoſcenda ſunt.

Quid Redargutio, Falſum, Inopinabile, Solœciſmus, Nugatio, Cap. V.

REdargutio eſt ubi quis argumenti circumuentu, cogitur oppoſitam eius quod prius conceſſerat, habere ſententiam: utputa uel negare quod affirmauerat, uel affirmare quod prius negauerat, ut ſi quiſpiam aſſeuerauerit terram eſſe maiorem arboribus, ſophiſta hũc in modum ipſum illaqueando redarguet,

Quod excedit maius eſt exceſſo, atqui
Arbores excedunt terram, iccirco
Arbores ſunt maiores tellure.

FALSVM Eſt quod nullam habet ueritatis ſpeciem, ut cum ſophiſta urget hunc in modum.

Quicquid currit animatum eſt, atqui
Currus currit, iccirco
Currus animatus eſt.

Quod falſum eſſe omnino ſophiſta conuincit. INOPINABILE uero eſt quod præter omnium opinionẽ affertur maxime uero ſapientum & famigeratorum hominũ, cum quis argumenti ui, deflectitur adeo ut rẽ concedat, quę ſit præter omnium opinionem, uel ſententiam: uerbi gratia, communis opinio eſt fœlicem eſſe diuitem: poteſt igitur ſophiſta ſic ratiocinari.

Qui perdit pecunias, infœlix eſt
Diues perdit pecunias, ſi liberalis ſit, iccirco
Diues infœlix eſt.

SOLOECISMVS *eſt barbara pronunciatio, quam quis cogitur ob argumentationis robur obſeruare: & idem quod barbariſmus ſonat quod uitium eſt in contextu partiū orationis aduerſus ſermonis leges factum, ubi quiſpiam uel in ſcriptura uel in pronūtiatione uitioſam dictionē dixerit. Cogitur autem quis in hanc deprauatam loquendi formam concidere, ubi importunus ſophiſta hac ratione inſtauerit,*

Tu uides colorem
Color eſt qualitas igitur
Vides qualitas.

NVGATIO *eſt, cum quis obiectionis impulſu, cogitare inutilem eiuſdem rei habere repetitionem, quod latinus interpres duplici de cauſa dictum eſſe arbitratur. Prima eſt quoniam ſi quis dicat lapis, lapis eſt ſubſtantia, ſi alter lapis magnetem ſignificet, alter Adamantem nugatio ne committitur. Etiam ſi quis ita proponat, homo eſt homo: nugatio dici non poteſt, quoniam non eandem ſedem obtinent duæ illæ dictiones, homo & homo, nam altera ſubiectum eſt, altera propoſitionis prędicatū. Sophiſta hac ratione hęſitabit,*

Omnis homo uel lapis eſt lapis; atqui
Cicero eſt homo, igitur
Cicero eſt lapis uel lapis.

Sed & illud animaduertendum eſt, quod Latinus interpres teſtatur, fuiſſe Ariſtotelis ſententiam in quarto libro diuinæ cognitionis, circa idem uerſari metaphiſicum, dialecticum atq; ſophiſtam: quo circa ſophiſta habet omnium entium ſta

tum & conditionem reſpicere. Propterea ille omnes artes & diſciplinas exulcerat. Nam in metaphiſicis redargutione utitur, in naturalibus falſo, in dialecticis inopinabili, in grãmaticis ſolœciſmo, in rhetoricis inutili repetitione: quod nec importune, nec inerudite dictum eſt, nunc de rebus, uocibus, atq; harum conceptibus, agamus.

De Conſenſione, Diſſenſioneq; *rerum uocum atq; conceptuum.* Cap. VI.

ANteaquàm ſophiſticos ſyllogiſmos recẽſeremus, prius uidendum eſſe duximus, unde fiat ꝙ propoſitionum quædam ueræ ſunt, quędam non ueræ, rurſus alię apparentes & ſophiſticæ: demum ſyllogiſmorum naturam, ac præſertim ſophiſticorum aperiemus, quod ut ornate & appoſite fiat, quędam ex Ariſtotele in libris de interpretatione commentabimur, mox cętera perſequemur, huic inſtituto per opportuna. Quatuor in propoſitionibus ſunt conſideranda: primum res ipſa eſt, cuius occaſione propoſitio ipſa innaſcitur atq; profertur. Secundo loco conceptus rerum ab animo confictus ſuccedit: ut ſi res ſit magnes, in quantum extra animam ac mentem conſiſtit, erit nimirum conceptus, iuxta quod in animo reſidet & concipitur ſecundũ eſſe illud quod noſtri intellectuale & immateriale appellant. Tertio loco ſubſequitur pronuntiatio, poſtremo ſcripturæ & notę ſunt. Quæ cum quatuor ſint (ut recenſuimus) horum duo ſolida ſunt atq; inconcuſſa, nec uariari uolũtario aliquo motu poſſunt, & ſunt res atq; conceptus. Proinde uoces ipſe atq; ſcripturæ multis modis inflectuntur atq; alterantur. Rurſus

hęc omnia ordinem quendam proxime obtinent, eſt enim ſcriptura uocis deſignatio, ſed uox nota eſt conceptus, conceptus uero rei naturam indicat. Illud itaq; animaduertendum eſt, ꝙ cum à rebus conceptus innaſcantur, à notionibus uoces & à uocibus ſcripturæ, neceſſe eſt ut qualis ſit rerum habitus, eiuſmodi quoq; notionum ſit ratio, deinde & propoſitionum, quæ aut ſcriptæ aut prolatę ſunt. Hac de cauſa Ariſtoteles inquit in prædicamentis totam ueritatem falſitatemq; propoſitionum à rebus ſiue notionibus ortum habere: præcipue uero à rebus ipſis, in eo enim ꝙ res eſt, uel non eſt, uera uel falſa dicitur oratio. Nam ubi quis affirmauerit quod eſt eſſe, orationem dicit ueram atq; affirmatam: ubi uero quod non eſt orationem affirmatiuam falſam pronuntiat. Sic ubi non eſſe adſtipulatur quis quod eſt, negationem falſam efficit, ueram ubi non eſſe quod non eſt. Iam igitur liquido conſtat veritatem ac falſitatem ſequi compoſitionem & diuiſionem in rebus repertam. Propterea inquit Poeta.

Eſt & non cuncti monoſyllaba nota frequentant.
His demptis nihil eſt hominum quod ſermo uolutet:
Omnia in his & ab his ſunt omnia, ſiue negoci
Siue oci quicquam eſt ſeu turbida ſiue quietis
Alterutro, pariter nonnunquam ſæpe ſeorſis
Obſiſtunt dubiis: ut mores ingeniumq;
Et faciles uel difficiles contentio nacta eſt.

Hæc cum ita ſe habeant, uideamus quo nam pacto ea quæ in uniuerſo ſunt diſpoſita eſſe dicantur. Etenim ſi omnia ita à natura eſſent elaborata ut inuicem reſponderent, nec aliquid alicui aduerſaretur, profecto nulla negatio uera eſ-

ſet, ſed omnia affirmare ne eſſe eſſet: puta hominem eſſe camellum, arborem lapidem, cœlum elementum, deum dæmonem, ac cætera id genus. Similiter ſi diſſentirent omnia, nulla eſſet uera affirmatio, quoniã & homo animal non eſſet, nec ſubſtantia, nec cœlum mobile aut ſempiternũ, quod deridiculum ſit dicere. Cum igitur quædam ſit affirmatio uera & quædam negatio oportet quarundam rerum fieri poſſe diuiſionem, quaſdã uero minime diſſolui poſſe. Philoſophi itaq; uniuerſitatem hanc rerum intuentes, uiderunt quaſdam ita inuicem coiſſe ut nulla ratione ſe cerni poſſint: quemadmodum cœlum ac motus, quoniam perpetuo tempore torqueri cœlum neceſſe ſit. quædam rurſus cognouerunt ita eſſe diſperſa, ac diſſociata, ut coaleſcere ſimul nunquam poſſint, quemadmodum contradictoria, contraria, & quæ diuerſa appellamus. ſeu diſparia: quorum exẽpla ſunt, eiuſdem affirmatio & negatio, bonum & malum, homo & camellus: à quibus negationes uerę productæ ſunt, ſicut illæ, nullus homo camellus eſt, nulla uirtus eſt uoluptas, nulla planta eſt lapis & cætera eius generis. Quemadmodum igitur res ipſæ hac ratione ſe iunctę ſunt, etiam & cõceptus ſe iunguntur, ſic & uoces ſic & ſcripturę. Sed obſcuritas rerũ, tum ipſa humanæ rationis inopia non tollerabant, ut omnia ita perſpicua redderentur, ut ſtatim duabus rebus propoſitis cognoſceremus an diſſentirẽt, an prorſus ſimul coire poſſent. Nam in quibuſdam hoc erat perſpicuum, puta ꝙ homo animal eſſet. & ꝙ homo capra non eſſet, uidemus enim ſtatim ubi quis has nobis propoſitiones obtulerit, nũquid homo & animal coniungi poſſint, & homo & capra dirimi: non tamen hoc ſemper: ſed quædam ambigua reddebãtur.

puta an omnis mater ſit pia: Nam pium ineſſe matri dubiũ uidebatur, quoniam crudelem aliquando fuiſſe Medeam fingunt Poetæ: ipſam eſſe piam Naturæ leges teſtátur. Rurſus cum quæritur an ſtellæ numero pares ſint, uel impares, adeo anceps eſt, ut nondum intellectus humani aciem informauerit. Quędam autem non ita ſe habebant, ſed alio prorſus iudicio, nam multa uidebantur diuelli, quę nunquam diuelluntur, quædam coniungi quę nunquam reuera coniunguntur. V. g. putabit quis diuelli poſſe motum ab cœlo, opinione ductus ꝙ omnis motus laborem mouenti inducat, unde affirmationem hanc falſam ſub ueri ſpecie effingit, cœlum quieſcet: aut negationem falſam cœlum non mouebitur, cum tamen res non ita futura ſit. Præterea quædam coire uidentur quæ nunquã reuera coeunt, ut ſi quis exiſtimans hircum ceruo coniungi poſſe quandoq́; falſam dicat affirmationem, hirco ceruus eſt, aut ſimile quoddã. Quamobrem factũ eſt, ut ueteres nonnullas appellarint propoſitiones manifeſte ueras, ut homo rationalis eſt: alias manifeſte falſas, ut homo aſinus eſt, alias dubias, ut ſtellæ impares ſunt, alias apparentes, ut diues eſt fœlix. Has autem ſecundum logicæ partes hoc modo diſtribuunt: nam quæ manifeſte ueræ ſunt, ſi neceſſariæ ſint, colligantiam habent ſempiternam ſubiecti & predicati, ut illa cœlũ eſt mobile: atq́; ad demonſtratiuũ attinet ſyllogiſmũ. Si uero manifeſtæ ſunt & falſæ ſophiſticam concluſionem efficiunt: quod ſi ancipites ſumãtur probabili ac dialectico ſyllogiſmo ſuppetunt. Quod ſi ueræ appareãt falſæ tamen ſint, ſophiſticę dicuntur. Cæterum quæ apparent falſę & tamen ueræ dicuntur, nulli operi logico deſeruiunt. De his igitur à nobis dicendum eſt, quæ ueræ ap-

130

parent,mendaciſſimæ tamen intus eſſe cognoſcuntur. quod ſi hæc propoſitionum genera ſecundum ſcientiarum gradus diuiſerimus,Metaphiſico dicemus ea ſuppetere,quæ manifeſtę ueræ & neceſſariæ ſunt, quod Ariſtoteles primo libro de partibus animalium docuit,quo loco ueram neceſſitatē, quam ſimpliciter uocant,diuinis ineſſe tantum rebus oſtendit,quemadmodum ex ſuppoſitione rebus gignendis & cāducis. quæ uero manifeſtę ueræ ſunt,non tamen neceſſariæ, hæc uel contingentes appellantur,uel inexiſtentes. Contingentes porrò tribus modis accipiuntur, ſiquidem uel in pluribus,uel in paucioribus,uel æqualiter ſe habētes. Si inexiſtentes ſint,tunc ſi accipiantur uelut illa coruus niger eſt,uel illa nix eſt candida naturalibus philoſophis & Rhetoricis æque omnes deſeruiunt. Naturalibus inexiſtentes,uel contingentes in pluribus: Rhetoricis contingentes in paucioribus uel æqualiter. quæ uero manifeſte falſæ ſunt interdum ad Poetas pertinent,ubi quid fabuloſi recinunt. quæ ancipites ſunt hoc eſt nec euidentiſſime ueræ aut falſæ, ciuilium cauſarum actoribus conueniunt: quæ uerę uidentur cū mendaces ſint, Munus ſunt ſophiſtarum,quemadmodum uulgo, quæ falſę uidentur, ſunt tamen ueræ:nam hęc falſa uidetur, ſapiens fœlix eſt,cum tamen uera ſit: ſed eam uulgares redarguunt,qui fœlicitatem in diuitiis & corporis bonis conſtituunt. SOPHISTICVS ITAq; Syllogiſmus is eſt qui ex apparentibus ueris aſſumptis colligitur, cum tamen falſa eſſe omnino illa percipiantur.

Quid ſophiſtica ſit propoſitio,rurſus quid ſophiſticus locus ac ſyllogiſmus,et quo nam pacto hęc differāt. Ca.VII.

TRia ad hãc inſtitutionẽ potiſſimum attinent,quæ ueluti neceſſarias ſuppetias ſophiſta ſubiicere ſolet. Alterum eſt ipſa ſophiſtica propoſitio,quam & captioſam dicimus,quæ in ſuperioribus inuenta eſt,cum dicebatur eam eſſe quæ uera uidetur, falſa tamen omnino eſt:ut illa quicquid currit habet pedes. Locus uero ſophiſticus eſt regula & præceptum unde ſophiſticum argumentum deducitur. Sicut cum dialecticus locus ſit à ſpecie ad genus, affirmatiue dicendo homo eſt,igitur animal eſt, locus ſophiſticus erit à genere ad ſpeciem, dicendo animal eſt,igitur homo eſt. Duo itaq; Latinus interpres neceſſario congruere teſtatur locis ſophiſticis,primum ut ſint apparentiæ cauſa,poſtremo ut animum ad ſui credulitatem reuocent:qui loci ex unione accidentis & ſubiecti fiunt. Addit & alterum locum, quẽ fallaciam appellant qui differentiam reſpicit cum ſubiecti tum accidentis:quod nec iniucundè nec inſulſe dictum eſt. Pulchre etiam adiicit illud perſimile uideri Sophiſtico ac Dialectico, nam quemadmodum Dialecticus ſyllogizat ex dignitatibus maximiſq; locis,ex quibus diuerſi innaſcuntur ſyllogiſmi probabiles, ſic ſophiſticus ratiocinatur ex propriis locis,qui apparẽtiæ cauſa ſunt,& imperitos falſa perſuaſione decipiunt. Quod dupliciter fit uel ubi ſumitur uox, quæ pluribus conuenit,& tunc re illa coire poſſe credimus, uel ubi re ipſa conſentiunt,ſed aut ex accidente,aut ſecundum quid:quæ tamen ſimpliciter ſimul non conſpirãt: à quibus ueluti duabus radicibus. XIII. loci, ſiue ſophiſticæ ſedes prodeunt, à quibus ſophiſtica argumenta deducũtur. Sex quidem in DICTIONE, ſiue in uerbo conſiſtentes, ac ſeptem EXTRA DICTIONEM, ſiue in

re inuenta, ut enodatius, uberiusq́; ſuo loco dicemus. SOPHISTICVS itaq́; ſyllogiſmus ille eſt qui apparentes præmiſſas aſſumit, falſam uero concluſionem colligit, ut aduerſarios & incautos decipiat. quemadmodum exempla ſuperius ſubiecimus. 131

QVÆDAM definitiones ex ſelectis locis Ariſtotelis recenſentur, apprime utiles huic inſtituto, tum plæraq́; adnotatione digna paſſim excepta declarantur. Cap. VIII.

FActurus operepræcium ſum, ſi anteaquam ſophiſticos locos attigero prius ueluti quibuſdam didaſcalicis animos adoleſcentum imbuero: tum quaſdam generatim definitiones explicauero, quæ ſequenti narrationi ſuppetẽt: quarum uſum tunc cognoſcemus, ubi locorum themata enodabimus. Siquidem propoſitum illud meum erat, ut fœdis barbarisq́; aliorum uerbis circunſcriptis, puriſſimam & caſtiſſimam Ariſtotelis cognitionem perciperemus, tum in hoc genere ſtudii omne ocium, plenamq́; operam conſumerẽ, eam adhibui diligentiam ut elucubratæ rei doctrina ſtudioſos inſtruerem. Nec male de re literaria merear, ſi cum priſca philoſophorum conſuetudo ea fuerit, ut ommiſſis ſuperſtitioſis, loquacibusq́; controuerſiis, ego etiam græcæ ſapiẽtiæ mores imitatus, ueterem illam & propemodum ſingularẽ diſſerendi artem, turbulentiſſimis hiſce tẽporibus docuero. Iam itaq́; propoſiti mei rationem & conſilium aggrediar. AXIOMA à græcis illud dicitur, quod à noſtris interdũ Dignitas, interdum maxima appellatur. Latini nonnunq̃ proloquium, & profatum, nonnunquam cõmune principiũ, uel communem animi conceptionem appellant. Genus eſt

earum propoſitionum, quæ luce ſui perſpicuę ſunt: eas unuſquiſq; aſſerit, & ut Themiſtii uerbis utar, illę propoſitiones ſunt quæ impreſſæ, ac ingenitæ omnium mentibus ſunt, Natura ita inſtituente. Problema eſt ſyllogizabilis propoſitio, quę in utranq; partem interrogando proponit, ut cum quęrimus an plures ſint dii, nec ne: an ſint gigantes nec ne: an terra moueatur nec ne? CONCLVSIO eſt ipſa iam ſyllogizata propoſitio, ut cum quis hominem aſſeuerauerit riſibilem eſſe quoniam rationalis ſit. INSTANTIA nonnunq́ ſolidum argumentum ſignificat, authore Ammonio in prædicamento ſubſtantiæ interdum inſtantia ſolitariā propoſitionem dicimus, quam quis aſſumit aduerſus alterius perſonæ ſententiam: uel ſic inſtantia eſt propoſitio in confutationem alicuius accepta. ENVNCIATIO, ea eſt propoſitio quæ uerum uel falſum interpretatur. PROPOSITIO oratio eſt uel affirmatiua, uel negatiua THEOREMA, aſſeueranda eſt propoſitio, quemadmodum illa ſuper data linea triangulum æquilaterum conſtituere. Latini interdum famoſam propoſitionem intelligūt. DICTIO omne uerbi genus aliquando ſignificat, et tūc idem ꝙ uerbum ſiue ſermo eſt: nōnunq́ ſimplicem orationis partem notat, quę aut ſolitarium nomen, aut ſimplex uerbū ſignificat. RES, id eſt quod ens alii dicunt, hæc ita à natura ſit, quemadmodum dictio ab arbitrio. CONCEPTVS, notio eſt, quam alii intentionem ali intellectionē dicunt, animi opus eſt; cum intellectus ea apprehendit quæ aut in re cōſiſtunt, aut caſſa imaginatione formantur. META finis eſt ſiue rei terminus, unde ſophiſticas metas ſophiſtarū ſcopos & fines & terminationes dicimus. RATIO

pleraſq; obtinet ſignificationes: nam & intellectum, & definitionem, & deſcriptionem, & uim computandi & argumentum, ſiue ratiocinium ſignificat, in præſentia uero ratiocinatio eſt. RATIO SOLICAPIA, ea eſt quæ apud græcos unicam accipit propoſitionem qua concluſionem colligit, ut exemplum, inductio enthimema: rationes haſce græci μονολήμματοι appellant, noſtri ſoli accipientes. RATIO PETENS principium, eſt ea quæ idem per idem explicat ut ſi dies eſt dies eſt, ſed dies eſt iccirco dies eſt. græci hanc & per ſimiles appellant ἀδιαφόρως περαίνοντας, & διφορουμένω. RATIONES quædam aliæ ſunt ſtoicorum quæ ἀμεθόδως περαίνοντες, dicũtur, conſimilis ratio apud Platonẽ habetur in Rep. Si fuiſſet filius dei nõ extitiſſet mali lucri, ſi mali lucri non filius dei, nõ igitur ambo. Et in phedone anima ꝑ ſe mouetur, quod ꝑ ſe mouetur ſemꝑ mouetur, anima itaq; immortalis. CONIVGATIO, ſiue cõplicatio in propoſitionibus συζυγία apud græcos dicitur: ſit hæc ubi plures propoſitiones debita quadam diſpoſitione connectuntur. RATIO HIPOTHETICA ea eſt quam ſtoici uocabant λόγοι. hanc conſtare uoluerunt ex accepto uel acceptis & aſſumpto & ellatione, ut ſi dies eſt, lux eſt, ſed dies eſt iccirco lux eſt. Huius argumenti prima propoſitio quæ à noſtris conditionalis appellatur λῆμμα ſiue τροπικὸν ab ipſis dicebatur et eſt acceptũ. Antecedens uero, ἡγούμενον appellabatur. Conſequens uero λῆγον quaſi deſinens. Quod uero iterum aſſumitur illud ſtoici πρόσληψιν, hoc eſt aſſumptionem uocãt: quod ultimum addebatur ἐπιφορὰν nuncupabant quaſi ellationem. RATIONES quaſdam ſtoici cõcluſorias, quaſ-

dam non concluſorias eſſe ſtatuunt, eas ἀπεράντους, περαντικούς. TERTIVM THEMA ab Alexandro in prioribus illud eſſe dicitur, cum ex duobus tertium quid concluditur, ex duobus quidem quorum alterum ex altero non dependeat, id τρίτον θέμα grçci uocant. ABDVCTIO eſt id quod græci ἀπαγωγὴν dicunt, quemadmodum in primo elementorum inquit Proclus lytius, & eſt tranſitio ab uno problemate uel theoremate ad aliud, quo cognito & propoſitum fit manifeſtum uerbi gratia ſi queratur cubi duplicatio, & hoc dimiſſo problemate quçramus quo nam pacto quadrare circulum poſſimus: Hanc nonnulli Hippocratem chium obſeruaſſe, primumq; attuliſſe arbitrantur cum circulum ex lunulis quadrare contenderet. OCCVLTATIO eſt cum ab initio nõ ſtatim neceſſarias interrogamus propoſitiones, ſed eas prius quæ ad neceſſarias utiles ſunt: non obſeruato recto ordine ſed retrouerſo. COMPOSITIVVM THEOREMA eſt ubi continuas capimus propoſitiones nulla intercurrente concluſione, ex quorum grege ſunt modi illi dicendi qui ab Alexandro & recentioribus dicti ſunt ἐμβάλλοντες καὶ ἐμβαλλόμενοι, hoc eſt inii cientes & iniecti, RATIO quædam habet artificioſam concluſionem, quçdam non artificioſam. quæ arte quadam cõcludunt, ea ſunt quæ aliqua prçmiſſarum ſpecie utuntur, hac ratione ut inter illas ac concluſionem aliqua intercipiatur neceſſitas. quæ inartificioſe concludunt, eas Alexander appellat ἀμεθόδως περαίνοντας. RATIO CONSECVTIVA ea eſt, quç concluſionem ex prçmiſſis neceſſario infert non tamen ſyllogiſtica eſt, cuiuſce rei exemplum affert Alexander in prioribus cum dicimus, ſi nihil eſt, dies

133

non eſt,ſi dies nō eſt nox eſt,igitur ſi nihil eſt nox eſt. Has rationes παρεπτικὰς græci uocant,hoc eſt conſecutorias. PROPOSITIONI accidūt euerſio,et cōuerſio,con uerſio fit ubi utraq; mutata propoſitio uera ſit,ut homo ani mal eſt,animal quodā homo eſt;euerſio eſt,cū funditus tota ſentētia permutatur,et tūc altera uera altera falſa ſit pro poſitio : ut ſi dicas homo animal eſt,homo animal non eſt, hæc euerſio ἀναστροφὴς appellatur. DIGNITAS, quæ à græcis (ut ſupra dictum eſt) ἀξίωμα dicitur,interdum à poſitione ſuppoſitione & definitione ſeiungitur : interdum quoniam altera uniuoce, altera equiuoce dicitur, nonnunquam dialectica nonnunquam demonſtratiua eſt. Stoici axioma appellabant omne id quod affirmabile uel negabile dicitur : & tunc idem eſt quod apud peripateticos enunciatio. Peripatetici uero Axioma dicunt κοινὴν ἔννοιαν hoc eſt communem animi conceptionem. Sed Stoici dignitatem ita partiuntur,ut alia negatiua ſit,alia affirmatiua,deinde altera ſimplex,altera compoſita : ſimplici quinq; differentias aſſignant,Enunciatiuam,Indefinitam,Negatiuam,Affirmatiuam,Prædicatiuam. Compoſitæ ſeptem attribuunt, Coniunctam,Adiunctam,Complicitam,Diſiunctam,Caſualem,A maiori,A minori. DEMONSTRATIO & MONSTRATIO interdum confunduntur, ſed raro,interdum diuerſam habēt ſignificationem quoniam monſtratio quælibet oſtenſio ſeu aſſeueratio eſt,demōſtratio quæ ex neceſſariis cōficitur:græci has appellant δεῖξιν,καὶ ἀπόδειξιν. SYLLOGISMVS ex OPPOSITIS eſt ubicunq; conſequentiam facimus ex duobus ſyllogiſmis, qui bina ſeu contraria,ſeu contradictoria in potentia con-

cluſerint, pertinet hic ad Tentatiuum magis quam ad Dia-lecticum uel demonſtratiuum. LOCVS *ſiue* SEDES *præter alias ſignificationes, hanc retinet, quam frequenter uſurpat dialecticus, quod eſt illud quo argumenta & rationes innituntur. hic à grçcis* τόπος *dicitur : & eſt duplex alter ſophiſticus, alter dialecticus.* RATIO FALSA *quatuor modis committitur. primum ubi uidemur concludere, non tamen concludimus: ſeu cum ſyllogiſmum facere credimus non tamen ſyllogizamus. Deinde cum non propoſitum concludimus ſed longe aliud, quà ſtatueramus. Rurſus cum concluditur propoſitum non tamen ex appropriatis illius ſcientiæ. Deniq; ubi ueram propoſitionem ex falſis aſſumptis colligimus : primus modus ad ſophiſticos elenchos pertinet : ſecũdus ad libros priorum, ubi agitur de eo quod eſt non penes hoc : tertius ad demonſtrantẽ: quartus etiam & poſtremus ad libros attinet priorum reſolutiuorum.* VERISIMILE *tametſi hoc pręcipue rhetori ſuppetat, maximum etiam affert momẽtum huic inſtituto. Nam ſophiſta aſſumptiones colligit ueriſimiles, non ueras ſed apparentes ut deinde falſiſſimam cõcluſionem efficiat. credibile autem ſiue uerisimile illud eſt, quod à græcis* εἰκὸς *dicitur. ut etiam Cicero uertit in partitionibus. hoc inquit Ariſtoteles in prioribus eſt quod non ſimpliciter ſed in pluribus fit : et in iis rebus conſiſtit quæ poſſunt aliter ſe habere. In rhetoricis uero ita definitur, credibile quod cum dicitur, exempla in conceptu audientes capiunt. Hoc habet tria genera alterum ex affectibus alterum ex cõſuetudine, tertium ex lucro. Aliter diuiditur* εἰκὸς *à Quintiliano, quoniam uel ſumitur credibile firmũ et ratum, ut liberos à parentibus diligi: alterum quod*

ſacilitatem et propenſionem indicat. V. g. diuitem alloquentem pauperem, uelle illi pecuniã pro pietate exigere: tertiũ quod poſſibile eſt eſſe, ut Socratem interfectum fuiſſe ab eo qui præſens defuncto repertus eſt. Atq; hęc hactenus. 136

Breuis diuiſio eorũ omniũ quę in primo et ſecundo libro elenchorũ Ariſtotelis tractantur. Ca. IX.

QVoniam libri pręcipua pars noſtri illud requirebat, ut ad Ariſtotelem eſſet introductio, ac ueluti quędã præparatio: iccirco diuiſiua methodo, uniuerſam Ariſtotelis mentem et propoſitũ aperiemus. Etenim diuiſione facillime & q̃ breuiſſime omnia teneri, aliquando teſtatus eſt Plato & Ariſtoteles: præcipue & diligentiſſimus Galenus, adeo ut qui diuiſionem ueluti inanem & futilem redarguunt, tantum aberrent ſcopo, ut ne etiam ſcire aliquid eos poſſe exiſtimem. Primum quid ſyllogiſmus ſit ſophiſticus demonſtrat, quod eius abſoluta definitione declarat: deinceps ad formulas diſſerendi pertrãſit, quas ita ſecat, ut nihil enodatius, ſophiſticamq; diſſertationẽ poſt enucleat, eamq; à cęteris ſeparando, deſcribit. Scopos ſophiſticos pandit, tum hallucinationes dictionis diſtinguit: poſtea ad eas tranſit tẽdiculas, quæ extra uerbum ſunt, hoc eſt in rebus cõſiſtunt: quorum deinde genera in ignorantiam elenchi reuocatum iri apprime oſtendit. Interim captionum cauſas ita aperit, ut nihil uel ornatius uel expreſſius haberi poſſit. Quid inter apparentem & ſophiſticum ſyllogiſmum interſit adſtruit, adeo ut nulla ſit uel clarior uel præſtantior diuiſio ſubinde an reddi uerarum, falſarumq; redargutionum numerus poſſit, cõtendit ea cõtentione nihil elaboratius. Confutat interdum eos qui ita captionum modos dirimunt, ut eos uel ad nomen uel ad in-

tellectum pertinere dicerent: ſed alterũ neceſſario adeſſe, ubi alterũ ſit planè confirmat. Tentatiuas interrogationes adamuſſim perſoluit, quid inter cõtentioſum ac ſophiſticum ſyllogiſmum interſit. Poſt orationes dialecticas & tentatiuas nõ eſſe determinato generi appropriatas aperit: locos ſophiſticos interrogantium ad falſum & inopinabile demõſtrat. De ſolœciſmi et nugationis irritamentis agit: deniq; ſophiſticam occultationẽ detegit, tũ ægre reſpõdẽtes caute refellit.

Quę in ſecundo elenchorum volumine. Cap. X.

POſt diſſerendi artem, quæ primo uolumine explicata eſt, in quo arguẽdi peritiam fermè docuit Ariſtoteles, agit in altero, quonam pacto argumenta diluantur, exulcerenturq;. non enim laus eſt ſophiſtice ratiocinari, ſed captioſas refellere ac deprehendere cauillationes. nã & quoſdam ita inſtitutos eſſe reperimus, qui facile ſcirent ratiocinandi uim & diligentiam obſeruare, cum tamen reſpondere nullatenus perciperentur: quod de Socrate quidam contigiſſe affirmant. Prius itaq; Ariſtoteles utilitatem ſophiſticarum exercitationum docet: tum de apparenti ſolutione reſpondentis agit, tum de ipſa recta ſoluendi ratione & iudicio: rurſus quonam pacto accidentis argutię deprehendantur, tum ſex ultimi loci qui extra dictionem ſunt diſſoluantur. Demum nugationes & ſolœciſmi importunitatem conculcat, ut ſtatim poſtea orationem in facilem, difficilem et acutam diſtinguat. Poſtremo (quod ex epilogo cognoſcere poſſumus) concluſionem eorum omnium affert, quæ octo libris topicis digeſta fuerũt, ac duobus uoluminibus elenchis comprehendebantur. Quo cum uentum eſt, receptui canit nec procedit ultra.

INTRODVCTIONIS AD SOPHISTICOS ELENCHOS, LIBER SECVNDVS.

Eorum locorum enumerationes, qui uel in uerbo, uel in re conſiſtunt. Cap. I.

OMNIS *in Elencho impoſtura duplex haberi ſolet, hanc in dictione, illam extra dictionem collocant. In dictione conſiſtũt hi loci, qui ex uocis natura innaſcuntur: numero ſunt ſex: & dicuntur ab æquiuocatione, ab amphibologia, à compoſitione, à diuiſione, ab accentu a figura dictionis. Extra dictionem ſunt ſeptem: & uocantur ab accidente, à ſecundum quid ad ſimpliciter, ab ignorantia elenchi, à petitione principii, à conſequẽti, ab eo quod eſt non cauſam, ut cauſam afferre, ab eo quod eſt plures interrogationes, ut unam facere. Quorum omnium naturam, quàm breuiſſime perſtringemus, hoc modo.*

De Aequiuocatione. Cap. II.

D*Vo ſunt apud Ariſtotelem æquiuocationis genera: alterum eſt ubi uox multa ſignificat, quæ natura ſimul non coaleſcunt: ut canis uox, ac ſimilia. huius exẽplum accipit Ariſtoteles à uerbo expedit, quod apud latinos improprie ad bonum & malum pertinet, licet proprie apud græcos uerbum δέοντα, utrunq; horum ſignificat. Alterum*

genus eſt, quoties una dictio unicam per ſe tantum rem ſignificat, ſed addita alteri, plura: ut qui ſurgebat ſtat, & qui curabatur ſanus eſt: ſurgebat enim ſedens, & curabatur ægrotans. ægrotans enim ſolitarie & per ſe unum ſignificat, ſed additum uerbo curabatur, ſignificat tam illum qui eſt quàm qui fuit ægrotans. Locus igitur ab æquiuocatione ille eſt qui à ſimplici uoce ſumitur, ubi multorum ſit ſignificatiua, uel ubi uox alteri adiuncta multiplicem ſenſum acquirit, cum ſolitarie accepta, ſimplicem habuiſſet. horum exempla ſubiecta ſunt.

Quilibet canis latrat atqui
Marinus quidam piſcis canis eſt iccirco
Marinus piſcis latrat.

Alter cauillus eſt eius æquiuocationis, quę ſecundo loco propoſita eſt,

Quod expedit bonum & honeſtum eſt:
Interficere hominem expedit,
Interficere hominem bonum eſt atq; honeſtum.

Sub hoc loco continetur ambiguum genus, æquiuocũ, quod purum atq; impurum appellant: analogum, metaphoricum, accidentiũ diuerſa ſignificatio, quæ orationi contingunt, prę poſitionum uarietas, exẽpla horum quorundã ſubiiciemus.

Ex impuro æquiuoco fallacia eſt,

Quilibet homo eſt animal:
Figura depicta eſt homo,
Figura igitur depicta eſt animal.

Ex analogo hunc in modum,

Omne ens per ſe exiſtit:
Albedo eſt ens, igitur

Albedo per ſe exiſtit.

Ex metaphoris hoc pacto.

Omne habens pedes deambulat:
Mons habet pedem, igitur
Mons deambulat.

Ex mutata ſignificatione partium orationis hac ratione fit.

Quicunq; comedebat depaſtus eſt:
Famelicus comedebat, igitur
Famelicus eſt depaſtus.

Ex uarietate præpoſitarum rerum hunc in modū procedit.

Album eſt in ſubiecto:
Cicero albus eſt, igitur
Cicero in ſubiecto eſt.

Addunt nonnulli fieri æquiuocationis fallaciam, ubi nomen proprie uni, improprie alteri comparatum ſuppetit, ut in exemplo.

Cæcum eſt priuatum oculo:
Lapis eſt cæcus, igitur
Lapis eſt priuatus oculo.

Vt tamen æquiuocationis genera diligenter percurrere poſſis, uide quæ in ante prædicamentis Ammonius notauit: horum enim genera multifariam diuidit. quæ uero maxime domeſtica diuiſio eſt, ea eſt quę ita proponit. Aequiuocum duplex eſt, à fortuna; ut nomen hoc Alexāder, quod de græco, atq; Italo homine prædicatur: à conſilio; ut cum quis ſeruos ſuos quolibet nomine appellare uoluerit. Hoc poſtremum genus ita ſcinditur, uel enim eſt à memoria, uel ſpe, uel à proportione, uel ad unum. Quod ad unū dicitur, rurſus biuio ſecatur, uel enim ab uno ſumitur exemplo, uel ab

una efficiente cauſa. Hæc *ſiquis diligenter animaduerte-rit, poterit horum omnium fallacias effingere.* Hacte-*nus de æquiuocatione.*

De Amphibologia. Cap. III.

VT *æquiuocatio ſimplicem uocem ſequitur, ita am-*phibologia*(quam* Politianus *ambiguitatem uertit) in compoſita integraq; oratione conſiſtit. eam Ariſtoteles* ἀμφιβολίαν appellat. *Confirmantur ex ambiguitate ar-gumenta, quoties eadem oratio plura ſignificat, & anci-pitem ſententiam continet, ut uulgatiſſimo exemplo conſtat.*

" *Aio te* Aeacida Romanos *uincere poſſe.* Ad hãc om*nes orationes referuntur, quæ eandem conſtructionem ſer-uantes, ſententiam tamen euariant; ob rei conſtructę muta bilitatem.* Rurſus *quę multiplicem conſtructionem requi-runt, & quæ unum principaliter, alterum metaphorice ſi-gnificant.* Exempla *habes inferius ſubiecta.*

Ex oratione eandem conſtructionem ſeruante, ſed ſententiã commutante ob uarietatem rerum conſtruendarum, hunc in modum ſophiſma fit.

Quod *facit* Callias, *eſt poſſeſſio* Calliæ:
Veſtem *facit* Callias,
Veſtis *igitur eſt poſſeſſio* Calliæ.

Ex oratione multiplicẽ conſtructionẽ requirẽte, hoc pacto.

quicquid loquitur Cicero, *illud ipſum loquitur:*
Lapidem loquitur Cicero, *icc*irco
Lapis ipſe loquitur.

Ex oratione unum Principale. *& alterum metaphorice ſi-*

gnificante, fit hunc in modum.

Quicquid uolat animal eſt pennatum:
Sagitta uolat, iccirco
Sagitta eſt animal pennatum.

137

De compoſitione ac diuiſione. Cap. IIII.

COmpoſita & diuiſa fit oratio, iuxta acceptionem earum partium, quæ orationem ipſam conficiũt: ut. v. g. ſi quis ita dixerit, quod ſanum eſt ſemper, durabit. Nam hęc oratio, (authore latino interprete) inuariabilis eſt iuxta materiam, ſiue ſingillatim, ſiue coniunctim, eius particulæ pronuncientur. Atqui uariabilis eſt omnino eius forma: nam alia eſt huiuſce orationis forma, cum dicitur quod ſanũ eſt, ſemper durabit, ab ea cum ita dicimus quod ſanum eſt ſemper durabit: prior enim falſa eſt, ſuccedens uera. Faciunt autem hęc duo eundem locum: ſiquidem compoſitio & diuiſio ſubiecto non differunt, ſed ratione tantũ. Nam ubi oratio compoſita falſa eſt, deceptio in compoſitione conſiſtit: ubi uero diuiſa, in diuiſione. Adiiciunt nonnulli, tunc dici, oportere compoſitam orationem, ubi partes eius congruam ſedem obtinuerint: cum uero indebitum ordinẽ ſeruauerint, diuiſam orationem dicimus. Huius triplex fieri deceptio poteſt: primum ubi dictum poteſt uerbo ſubiici uel totius, uel partis indicio. Tunc etenim ſi dictum uerbo, ut totum ſubiiciatur, compoſita fit oratio: diuiſa uero quando ut pars. Quòd ſi compoſitæ orationis ſenſus falſus eſt, deceptio compoſitionis uocatur ſi uero diuiſim, deceptio diuiſionis innaſcitur.

Ex compoſitione quis ita ratiocinari poteſt

Sedens poteſt ambulare:
Cicero eſt ſedens, igitur
Cicero poteſt ambulare.

Ex diuiſione ita inſtabit ſophiſta,

Quod eſt tantundem, eſt æquale:
Maius eſt tantundem, iccirco
Maius eſt æquale.

atq; hæc de primo genere huius decipuli. Additur & alterum ubi aliquod prædicatũ in quo ſeu copulatiua, ſeu diſiunctiua nota, plura iunguntur poteſt de ſubiecto, uel coniunctim, uel diuiſim afferri: quo fit ut ſi copulatiue afferatur, cõpoſita ſit oratio, ſi ſeparatim diuiſa. atq; eo tempore ſi compoſitæ orationis ſenſus falſus ſit, deceptio eſt in compoſitione: ſi uero diuiſim, in diuiſione captio conſiſtit.

Deceptio compoſitionis hoc itaq; modo fit,

Quicunq; numerus ex duobus & tribus conſiſtit, eſt duo & tria:
Quinarius non eſt duo & tria, iccirco
Quinarius ex duobus & tribus non conſiſtit.

Deceptio uero in diuiſo ſenſu fit hoc modo.

quæcunq; duo ſunt & tria ſunt duo: atqui
quinq; ſunt duo & tria, igitur
Quinq; ſunt duo.

Addunt nonnulli fieri hunc cauillum, ubi prædicatũ ſub diſiũctione proferatur: fietq; & compoſitionis & diuiſionis fallacia. compoſitionis hunc in modum.

quod non eſt rationale neq; irrationale neq; eſt rationale neq; irrationale:

138

Non omne animal eſt rationale,neq; irrationale,iccircò
Aliquod animal non eſt rationale,neq; irrationale.

Tertium genus eſt,ubi eadem dictio poteſt ad diuerſas particulas orationis referri:atq; eo caſu compoſita habetur oratio,ubi ei coniungitur dictio,cui maxime uidetur congrue: re:diuiſa uero,quoties ſeiungitur: fit autē in hoc genere deceptio ubi quis dixerit.

Quicunq; uiuit ſemper,erit:
Homo uiuit,igitur
Homo ſemper erit.

Ex diuiſione fallacia ſic prodit.

quo uides interfectum eſſe Socratem,eodem eſt interfectus Socrates.
Oculo uides interfectum eſſe Socratem,
Oculo igitur eſt interfectus Socrates.

Addunt ſtapulenſis & chlichtoueus treis regulas, quibus utraq; tam compoſitionis q̃ diuiſionis fallacia dignoſcatur: & eſt,debitus ordo propoſitionis modalis eſt,ubi modus aut ſubiectum ſit,ut poſſibile eſt candidum eſſe nigrum:aut prædicatum,ut candidum nigrum eſſe eſt poſſibile. Secunda à determinatione ſuboritur hunc in modum,conueniens ordo propoſitionis eſt,ubi determinatio inter duo determinabilia ponitur utriq; æque proxima,præcedens determinabile determinauerit:ut quicquid ambulat ſemper,mouetur. Pulchre tamen adiectum eſſe uolunt, id utriq; æque proxima, quoniam ſi non ex æquo determinatio ſe habuerit, debitam ſedem obtinet,ubi quod magis propinquum eſt, determinauerit :ut quicquid longo itinere ambulat ac modo huc modo illuc circumuagatur,ſemper mouetur. Poſtrema eſt à

determinabili hoc pacto: cõgrua ſedes propoſitionis eſt, ubi determinabile ponitur inter duas determinationes, utriq; æque reſpondentes, compoſitus fit ſenſus: ut diligo puellam candidam, roſam habentem. Nunc uero fallaciæ exemplũ ſumendum eſt quæ à modo fit compoſitiue ſic.

Quencunq; poſſibile eſt loqui, poſſibile eſt ut loquatur:
Atqui tacentem poſſibile eſt loqui, iccirco
Fieri poteſt ut tacens loquatur.

A' determinatione uariata ſic compoſitiue,
quicunq; ſcit literas nunc, didicit illas
Atqui grammaticæ peritus, ſcit literas, igitur
Grammaticę peritus nunc illas didicit.

A' determinabili uariato ſic compoſitiue
quicunq; bonus eſt, bonus eſt:
Atqui malus artifex bonus eſt, iccirco
Malus artifex bonus eſt.

A' modo uero in debitum ſitum habente, ſic diuiſiue
Candidum nigrefieri eſt impoſſibile, igitur
Candidum impoſſibile eſt nigrefieri.

A' uariata determinatione ſic diuiſim,
A quocunq; audiuiſti lectionem, ille præceptor eſt
Atqui auribus lectionem audiuiſti, igitur
Aures præceptor ſunt.

A' determinabili uariato, ſic diuiſiue ratiocinabimur,
quicunq; malus eſt, malus eſt
Atq; malus medicus eſt bonus, igitur
Malus medicus eſt bonus.

De accentu. Cap. V.

139

CVm hic de accentu mentio habetur, illud intelligitur, quod in pronunciandi iudicio quauis dictionem, cōſiſtit. Hunc noſtri ferè abolitum habent. Gręci uero frequentius illum obſeruant. Nam latini grauem, acutum, & circunflexum maxime obſeruant, licet & obſcure. Græci enim facilius & locupletius. Nam apud illos Προσῳδίαι hoc eſt accentus, ſiue toni, decem numero ſunt uidelicet, ὀξεῖα, βαρεῖα, περισπωμένη, μακρὰ, βραχεῖα, δασεῖα, ψιλὴ, ἀπόστροφος, ὑφὲν, ὑποδιαστολὴ, hoc eſt acutus, grauis, circunflexus, longa linea, contracta, aſpiratio, leuigatio ſiue ſiccitas, auerſio, ſubunio, & diſtinctio. Grammatici appellant accentum, rationem eleuandi ac deprimendi ſyllabas, in quacunq; oratione poſitas: ſed hęc apud grāmaticos. Huius fallacię exemplum fert Ariſtoteles hunc in modum.

Bonum eſt iuſtos uiros pendere:
& bonum rurſus uiros iuſtos non pendere, iccirco
Idem eſt pendere & non pendere.

Ampliandi uero cauſa, quæ ab Ariſtotele breuiſſime afferūtur, huiuſce deceptionis quattuor modos ſyllogizandi, quos frequenter authores obſeruant, declarabimus. Primus modus eſt, ubi dictio graui, uel acuto, uel circumflexo accentu, proferri poteſt: tunc enim uariato accentu pro modo dictionis, deceptio committitur. Secundus eſt, ubi tempus particulæ dictionis uariatur, hoc eſt ubi & producta et correpta eſſe poteſt: tunc enim fallacia fit, ſi modo longa, modo breuis ſumatur particula dictionis. Tertius eſt, ubi uariatur ſpiritus in alicuius dictionis pronunciatione: ut ſi cum aſpiratione dictio aliqua proferatur, paulopoſt citra aſpirationem dicatur. Quartus modus eſt, ubi dictio poteſt modo

ut una,modo ut plures dictiones proferri:horum omniũ exẽ
pla ſubiiciemus ſi prius illa dixerimus,quæ Ariſtotelicis uer
bis congruunt.

Feræ uenenum eſt:
Aduerbium eſt ferè,iccirco
Aduerbium eſt uenenum.
Fit etiam huiuſce generis deceptio,addendo Hyphen,ex
qua dictionis ſenſus uariantur,ut hoc pacto.
Samothracia continens nomine coniuncta eſt.
Samothracia inſula eſt continens,igitur
Nomine coniuncta eſt inſula.

Ex uariato accentu ſic ratiocinamur,
Quicquid ſolet terrere,horribile eſt:
Colonus ſolet terere,iccirco
Horribilis eſt colonus.

Ex tempore uariato, ſic urgère ſophiſta ſolet,
Populus eſt arbor:
Gens eſt populus,igitur
Gens eſt arbor.

Ex ſpiritu uariato ſic inſtabit quis,
Ara eſt ubi ſacra ſiunt:
Porcorum ſtabulum hara eſt,iccirco
Porcorum ſtabulum eſt ubi ſacra ſiunt.

Ex eo quoniam dictio poteſt modo una tantum eſſe, & mo
do multiplex ſic.
Quicquid Deus fecit inuitè fecit inuitus:
Racemos Deus fecit in uite,iccirco
Racemos fecit Deus inuitus.

Additur,ubi uariatio in ortographia cõſiſtit,huius exẽplum
eſt.

Qui habet colum, habet inſtrumentum filandi :
Anſer habet collum, iccirco
Anſer habet inſtrumentum filandi.

De figura dictionis. Cap. VI.

FIgura hic accipienda eſt, nõ pro eo, quod termino uel terminis clauditur, ſed pro ſimilitudine ipſa, ſiue configuratione, quę eſt unius cum altera quauis dictione deſinens terminatio. Fit captioſa ex hoc loco deceptio, ubi ſimilitudo unius uocis cum altera dictione imperitum hominem fefellerit. Huius duo genera uſurpari ſolent: primum eſt, ubi non recte interpretamur Maſculinum, fœmininum, Neutrum, Actiuum, Paſſiuum, ſed maſculinum genus in fœmininum uertimus: aut contrà: uel neutrum in illa uel cõtrà, aut actiuum in paſſiuum: uel contrà. Secundum eſt, quotieſcunq; dictio ex uno genere rerum ſignificatiua ſumitur, ueluti alterius generis rerum ſignificatiua : hoc eſt, ut planiſſime loquar, ubi dictio ex uno prædicamento deſumpta, alteri longe alio prædicamento adiungitur: ut in exemplis.

Ex mutatione Maſculini generis in fœmininum ſic,

Quęcunq; induitur ueſte candida, eſt mulier; atqui
Catilina induitur ueſte candida, iccirco
Catilina eſt mulier.

Ex mutatione maſculini generis in neutrum hoc pacto,

Quodcunq; reddit unicuiq; quod ſuum eſt, iuſtum eſt:
Cicero reddit unicuiq; quod ſuum eſt, iccirco
Cicero iuſtum eſt

Ex mutatione fœminini in maſculinum ſic,

Quicunq; induit purpuram prætor eſt:
Glycerium induit purpuram, iccirco
Glycerium prætor eſt.

Ex mutatione fœminini in neutrum,

Quodcunq; ambulat, animatum eſt:
Glycerium ambulat, iccirco
Glycerium animatum eſt.

Ex mutatione unius prędicamenti in aliud,

Quicquid hodie emiſti, comediſti:
Atqui carneis crudas hodie emiſti, iccirco
Carneis crudas hodie comediſti.

Addunt nonnulli tertium modum, ubi mutatur uniuerſalis ſubſtantia in particularem ſubſtantiam exemplum eſt.

Callias eſt diuerſus à corpore:
Callias eſt corpus, igitur
Callias eſt diuerſus à ſeipſo.

Addimus & quartum genus, ubi uariatur terminorũ ordo, uerbi gratia, à dictionibus rem ſolidam ſignificantibus, ad dictiones meram notionem ſignificantes aſcendendo. Rem ſolidam ſignificant homo, animal, ſubſtantia, corpus, ac cætera huiuſmodi. Notiones ſignificant in diuiduum ſpecies, genus, differentia, proprium & alia id genus. exemplũ ſit.

Omnis homo animal eſt:
Animal de pluribus ſpecie differẽtibus p̃dicatur, iccirco
Homo de pluribus ſpecie differentibus prędicabitur

Hactenus de deceptionibus illis, quæ in dictione ipſa conſtituuntur. Proxime itaq; agendum eſt de cæteris, quę extra dictionem ponuntur, & ipſam naturam rei magis conſequũtur. Primum autem de accidenti dicamus.

De accidente. Cap. VII.

141

Accidentis deceptio ſit (authore Ariſtotele) ubi quis ſubſtantialiter alicui rei id aſſignat, quod ſibi ex accidenti conuenit. Vis autem huius loci maxime confirmatur ea regula, quã Ariſtoteles in anteprędicamẽtis tradidit, quando alterum de altero prædicatur, ut de ſubiecto, quæcunq; de eo quod prædicatur dicuntur, omni etiã de ſubiecto dicentur. Nam importunus ſophiſta apparenter aſſumens eam regulam, ſic ratiocinatur.

Cicero eſt homo:
Homo eſt ſpecies, igitur
Cicero eſt ſpecies.

Quod ſi forte hoc negaueris ſequi, eam regulam adducet, quam ſuperius citauimus ex antepradicamentis. Deceptio autem eſt, propterea quòd ſumitur, ſpecies ineſſe homini, ueluti prædicatum eius ſubſtantiale, quod tamen accidentale omnino eſt dicendum. Hanc accidentis fallaciam ſtoici (referente ſimplicio) in anteprędicamenta, οὔτινα appellabant. Nec accidens, hoc loco audiendũ uenit, pro eo, quod à ſubſtantia diuerſam facit prædicationem (non enim ita preſſius intelligendum eſt) ſed accidentale hic uſurpamus quod per accidens dicunt, tametſi de genere ſubſtantiarum dici poſſit, quo modo teſtatur Ariſtoteles in cap. Relatiuorum, hominem & greſſibile eſſe accidentia ſerui, hoc eſt aduentitia & acceſſoria. Sic enim accidens ab eo quod eſt per ſe ſtatim ſeiungitur. Quod ut liquido conſtet, duæ ſubiungendæ regulæ ſunt. Per ſe illud eſt, quod de definitionis in-

greſſu eſt:ut animal;quod quia in definitione hominis ſuſcipitur,propterea per ſe dicitur. Aliter per ſe eſt,quod eſſe eſſentiæ ſignificat: ut animal hominis eſſentia eſt. & licet ſubiecto ſint hi duo modi dicendi,ratione tamen diſpeſcuntur:nam ut definitio aliquid eſt,intellectu concipitur: ut uero eſſentiam conſtituit,natura conſiſtit, nulla interueniente animi intellectione. Vel per ſe illud eſt,de quo duplata propoſitio uera eſt:ut homo ſecundum quòd homo, rationalis eſt. rurſus, quòd formam cuiuſlibet rei conſtituit. quòd uero ex accidenti eſt, oppoſitas ſuſcipit omnes definitiones.

Quoniam igitur accidentalia prędicata, ſi prædicãtur,proprie non prædicantur ut de ſubiecto,hac de cauſa in illis nõ ualet regula Ariſtotelis. Si tamen uſu ueniat, ut accidentale prædicatũ de prædicato uerificetur,quatenus & ſubiecto conuenit, fortaſſe hoc modo ualebit regula: ut quoniam candidum ineſt homini & animali, eo tempore tenebit ratio,ut animal candidum eſt: homo animal eſt, igitur homo candidus eſt. non tamen tenebit ſic,animal pennatum eſt:homo animal eſt,igitur homo pennatus eſt. non enim pennatum, ideo animali conuenit, quoniam de ſubiecto uerificatur: quinimmo ſubiecto (ut dicunt ex rei natura) aduerſatur. Huius deceptionis tria genera uſurpari ſolent. Primum eſt ubi ab accidente in ſubiectum tendimus. Secundum eſt ubi quod naturæ ſuperiori conuenit, id inferiori ſuppetere ratiocinamur. Tertium eſt ubi à ſpecie, ad proprium accedimus. Exempla ſunt.

Ab accidente ad ſubiectum

Cognoſco lac:

Lac habet candorem,iccirco

Cognoſco habens candorem.

A' ſuperiori ad inferius ſic

Homo eſt ſubſtantia:

Subſtantia generaliſſimum eſt, igitur

Homo eſt generaliſſimum

A' ſpecie ad proprium hac ratione

Cicero riſibilis eſt:

Riſibile eſt affectio propria, igitur

Cicero eſt propria affectio.

Verum non ignorandum eſt, quòd ſecundum genus, quo à ſuperiori ad inferius ratiocinamur poteſt ad primum genus referri: nam generaliſſimum, accidens eſt ad ſubſtantiã. rurſus & tertium, quoniam eſſe affectionem propriam, acceſſorium eſt riſibili. Sed nos ad maiorem circũſpectionem hæc attulimus, non tamen ac ſi omnino diſſentirent. Addunt alii fieri hanc deceptionem, ubi maiorem minoremq́; extremitatem, et medium terminum paralogiſmi, ita conſtruxerimus, ut uel maior extremitas perperam collocetur, uel minor, uel medius terminus: ut uerbi gratia.

Cuiuſcunq́; contradictionis altera pars eſt uera,

Atqui illa propoſitio, homo eſt aſinus eſt altera pars contradictionis,

Igitur illa propoſitio, homo eſt aſinus eſt uera.

Deceptio eſt, quoniam medius terminus, erat illa particula duntaxat, contradictio: uerum in minori propoſitione diffuſior & amplior aſſumebatur.

Maior extremitas, male ſituata eſt, ubi dixeris

Omne uiuens animal non eſt:

Omnis homo uiuens eſt, igitur

Nullus homo animal eſt.

Maior enim extremitas animal, perperam cõtexta eſt: quoniam non uniuerſaliter collecta fuerat

Minor uero extremitas male collocatur, ubi ita propoſueris.

Nullum dextrum eſt ſiniſtrum:

Cuiuſlibet hominis oculus dexter eſt, iccirco

Neuter hominis oculus eſt ſiniſter.

Hic enim ratiocinatum eſt, in ſecũda figura: cuius ſyllogiſmi minor extremitas, particulariter non poteſt ſubiici, ut in figuris docuit Ariſtoteles.

De ſecundum quid ad ſimpliciter. Cap. VIII.

CVm aliquid præcipue affertur, id uel pure, uel ſimpliciter dicitur: ſecundum quid, ſiue aliquatenus, ubi imperfecte. Simpliciter homo animal eſt: & ambulans mouetur. Quoniam utrunq; horum pure & præcipue fit. Cum uero Aethiopem album eſſe dicimus, id ſecundum quid dictũ eſſe affirmamus, quoniam denteis ſolum candidus eſt. Hoc modo idem pro nunc ſonat ſimpliciter, quod ſecundũ totum, aliquatenus quod ſecundum partem. Aliter ſimpliciter illud dicitur, quod nulla facta additione ita dicitur. Secundum quid, quod ex additione dicitur. nix enim candida eſt & ſimpliciter; quoniam nullo addito ipſam eſſe candidam dicimus. atqui æthiopem album dicemus ſecundum denteis, non tamen ſimpliciter album: quod egregie latinus interpres attulit. Addit & ipſe, in quibuſdam rebus tenere argumentum, ab his quæ ſecundum quid dicuntur ad ſimpliciter, in quibuſdam uero minime: tenet enim ubi additum

non comminuit rem. exempli cauſa, Cicero ſtudioſe legit, igitur Cicero legit. uel hoc modo, Philo deperdite amat, iccirco Philo amat. non enim particula hinc, deperdite illinc, ſtudioſe rem imminuit. Non tenet uero, ubi res imminuitur, ex ipſa additione: ut Cicero eſt homo mortuus, igitur Cicero eſt homo. ſiquidem dictio illa mortuus, imminuit atq; obliterat hominem. Iuxta hanc deceptionis formam, nouẽ ſophiſmatum genera fieri poſſunt. Primum ubi determinatio, adiuncta determinabili, ita determinabile detrahit, ac imminuit, ut extra limites propriæ naturæ illud ipſum reuocare uideatur. Aliud eſt ubi determinatio pertinet ſeu ad uoluntatem, ſeu ad memoriam, ſeu ad intellectum, ſeu phantaſiam, ſeu opinionem. Veruntamen illa rei ſolidæ adiungitur, cum tamen non ſimpliciter ſit connectenda. Tertium genus eſt ubi determinatio potentię refertur, ac rei iungitur uelut actus. quartum genus eſt, ubi determinatio partem, non totum ſignificat. quintum eſt, quoties determinatio improprie dicitur de ſuo terminabili, quod dictum materiale noſtri appellant. Sextum eſt in his, quæ ſecundum locum ſiunt. Septimum in his, quæ iuxta tempus fieri dicuntur. Octauum in his, quæ ab aliquid ſeſe habent. Nonum, cum ex diuiſione facta, coniunctio infertur: Omnium exempla inferius adiecta ſunt.

A determinatione reuocante,
Callias eſt orator pexiſſimus: igitur
Callias eſt orator.

A determinatione pertinente ad opinionem,
Oricalcum eſt aurum opinabile: igitur
Oricalcum eſt aurum.

143

A' diterminatione pertinente ad phantaſiam
Tragelaphus eſt phantaſticum animal:iccirco
Tragelaphus eſt animal.
A' determinatione pertinente ad uoluntatem.
Habeo pulcherrimam puellam in uoluntate mea,
Igitur habeo puellam.
A' determinatione attinente ad intellectum
Habeo in intellectu roſam:
Igitur habeo roſam.
A' determinatione pertinente ad memoriam
Memoria teneo defunctum fratrem:
Igitur teneo defunctum fratrem.
A' determinatione potentiali,
Triticum potentia herba eſt:
Igitur triticum herba eſt.
A' determinatione partis
Aethiops albus eſt denteis:
Igitur æthiops eſt albus.
A' determinatione impropria
Iniuſtus uult uſurpare aliorum bona,
Igitur iniuſtus uult bona
A' loco
Sarmatæ interficiunt ſeniores patres, ne ægritudinum multitudine grauati, male uitam agant,
Igitur patres noſtri, cum ſenes ſunt, ueniunt à nobis interficiendi.
A' tempore
Menſe Ianuario expedit ferre pelleis,
Igitur menſe Iulio expedit ferre pelleis.

Ab his quæ ſunt ad aliquid
Sapientia in prauo homine inanis ſtultitia eſt:
Igitur ſapientia ſtultitia eſt.

144

A diuiſis ad coniuncta
Aſinus eſt frater: in poſſeſſionibus
& eſt tuus, igitur
Aſinus eſt frater tuus.

Vel ſic
Cicero eſt bonus & cytharedus: in artibus
Igitur Cicero eſt bonus cytharedus.

Vel ſic
Cicero habet decem & tria: in diſcretis
Igitur habet decem tria.

Vel ſic
Homerus eſt poëta: In accidentalibus
Igitur Homerus eſt.

Vel ſic
Cicero eſt homo mortuus: in reuocantibus
Igitur Cicero eſt homo.

Vel ſic
Hircoceruus eſt ens in phantaſia: in phantaſticis
Igitur hircoceruus eſt ens.

De ignorantia elenchi. Cap. IX.

HVnc locum pleriq; confutationis inſcitiam appellant. Hic maxime conſiderandus eſt: nam omnes paralogiſmi ab hoc uno, ueluti communi quodam omniũ deceptionum fonte emanant. quoniam ex Elenchi ignoratione, omnes impoſturę proſiliunt. Prius tamẽ quàm exponatur hic

locus ineunda nobis ratio eſt,ut contradictionis uim totam explicemus, Definitur *contradictio ab* Ariſtotele,*quòd ſit eiuſdem,& unius,non nominis, ſed rei,& nominis,nõ homonymi, ſed eiuſdem, ex datis, ex neceſſitate collectis, & non aliis quibuſdam non commemorati à principio, ſed ſecundum idem & ad idem, ſimiliter & in eodem tempore.* Tenetur *enim diſputans,ubi alium refellere ſtatuerit, oppoſitam eius,quod ille dixerat, ſententiam colligere. in eodem & uno,non quidem in alio & alio: uerbi gratia,dicẽte aliquo,*Ciceronem *diſerte loqui, ſi alius confutationem facere propoſuerit,debet non de Cicerone* Veneto *aut* Patauo *cõtradictionem & inſtantiã moliri ſed de* Romano*:aliter elenchi inſcitia committitur.* Hac *de cauſa proponit definitio contradictionem eſſe eiuſdem,non nominis, ſed rei, hoc eſt non tantum uocis, ſed rei.* Nam *ſi unicum & ſimplex ſit nomen,quod differenteis ſignificet res, in alia ſignificatione, non fit redargutio. neq; homonymia poteſt confutationem facere.* Cũ *enim dicimus,animal dormit,& animal non dormit,utroq; uero exiſtente,non fit elenchus.* Eſt *igitur eiuſdem & unius,nominiſq; & rei contradictio,ex datis,ex neceſſitate collectis,& non aliis quibuſdam,nõ commemorati à principio,hoc eſt non per aliud nomen acceptũ quæſtionis in propoſitione, in rationem demonſtrationis.* Oportet *enim ſecundum idem exiſtere à principio, & non ſecundum aliam atq; aliam partem ſubiecti fieri confutationem.* Nam *ſi* Aethiopem *reliquo corpore coloratum dicamus, ſecundum denteis non coloratum, contradictione committitur.* Et *ad idem quidem non ad aliud, contradictionẽ uertimus.* Si *enim dicamus,uiginti ad decem duplum nu-*

merum eſſe, igitur uiginti, nō fit confutatio. rurſus ſimiliter, & in eodem tempore: ſimiliter quidem, ut non dicamus de aqua calidā, & non calidam eſſe, hoc poteſtate, illud energia ſiue actu intelligendo. in eodem autem tempore, ut non afferamus in eodem tempore dormire, in alio uigilare. Ex datis, ex neceſſitate, fit redargutio, quando non utimur non cauſa, uti cauſa. Siquidem accidentis & conſequentis captiones, hoc modo deprehenduntur: quoniam & ſi concludere ex acceptis uideantur, nihil tamen ex neceſſitate cōcludūt. non enim ſi Deus eſt ſubſtantia, & quadriſyllabū eſt ſubſtantia, neceſſe eſt Deum eſſe quadriſyllabum. Ex his liquido conſtat, omnes paralogyſmos in confutationis inſcitiā (quod teſtatur & ipſe Ariſtoteles) reuocatum iri. Illud quoq; ſcire oportet, plura eſſe contradictionum genera. Nam & quædam contraria ſunt, ut habitus & priuatio: quo modo uiſus & cęcitas contradicunt. quædam opponuntur ut cōtraria, quemadmodum frigidum & calidum. alia ut contradictoria, ueluti omnem hominem eſſe candidum, quendā non candidum. alia ut ſubcontraria, ſicut aliquem hominē dormire, aliquem non dormire. Propterea hic contradictionem accipimus, ſecundum quod aduerſarium cogit quis, oppoſitū eius, quod prius dixerat, aſſerere. maxime enim illud fit, ubi contradictoria afferuntur. Sed ut ad ipſam ignorantiam elenchi accedamus, ſciendum eſt totam illam deceptionem duo continere, uel ut ſyllogiſmi ratio, uel cōtradictionis lex non obſeruetur. De contradictione dictum eſt: de ſyllogiſmo uero illud dicendum, quod ſiquis rectam ratiocinādi formam non calluerit, in ignorantiam elenchi uertitur. Genera huius loci, quattuor numero ſunt: ac totidem modis uſura

145

pari ſolent. Primum eſt, ubi contradictio, non eiuſdem ſit. Secundum, ubi non ſecundum idem. Tertium, ubi non ſimiliter. quartum, ubi non in eodem tempore.

Additur & cum praua ratiocinandi forma obſeruatur.

Ex mala ſyllogizandi forma ſic ratiocinamur,

Nullus lapis eſt homo:
Nullum riſibile eſt lapis, igitur
Nullum riſibile eſt homo.

Ex praua contradictionis forma, & pręcipue quoad idem,

Cicero eſt magnus ad paruum hominem:
Cicero eſt paruus ad magnum hominem, igitur
Cicero eſt paruus & magnus.

Ex non ſecundum idem,

Cicero albus eſt ſecundum denteis:
Cicero niger eſt ſupercilia, igitur
Cicero albus eſt & niger.

Ex non ſimiliter,

Ignis agit calefactionem:
Ignis non agit infrigidationem, igitur
Ignis agit & non agit.

Ex non in eodem tempore,

Sol nocte non eſt ſuper terram:
Sol die eſt ſuper terram, igitur
Sol eſt & non eſt ſuper terram.

De petitione principii. Cap. X.

PRincipium petere intelligimus, quod eſt præcipuum ac propoſitum finem accipere. ſit hoc ubi accipimus

quod

quod erat à nobis probandum. ut ſi probandum ſit cælũ eſſe perpetuo tempore mobile, & tamen ab aduerſario accepero, cœlũ ipſum iugiter torqueri. Hæc petitio duplex habetur: quoniam altera ſit, eodem penitus nomine, ut ſi probã dum ſit mihi, lineam eſſe illatabilem longitudinem, punctis definitam, lineam eſſe illatabilem longitudinem, punctis definitam, accepero. Quod cum ſit, nulla aduenit impoſtura: quinimmo qui hoc modo accipit, riſum aſtantibus excutere ſolet. Alia eſt petitio, quę decipuloſa eſt, & captioſam habens apparentiam, ut cum quis probaturus, quòd Callias dominus ſit Coriſci, accipit Coriſcum eſſe Calliæ famulũ. Sunt ex hoc genere, Duodecim decipiendi formulæ. Prima eſt, ubi interrogatur definitum, ad definitionis confirmationem. Secũda eſt, ubi uniuerſale accipimus, probaturi ipſum, quod ſub eo eſt, ſingulare. Tertia eſt, ubi ſingulare accipimus, probaturi ipſum, quod in eo latet, uniuerſale. Quarta, ubi diuiſim petimus, quod coniũctim petiiſſe debueramus. Quinta eſt, ubi alterum correlatiuum petitur ad alterius ſibi com paris relatiui, probationem. Sexta eſt, cum alterum oppoſitorum accipimus, alterum collecturi. Septima, cum totum probaturi ſumus, parteſ ſimul omneis accipimus. Octaua, ubi partes & totum petimus. Nona, ubi duo ſeſe ſubſtãtialiter conſequuntur, alterum tamen accipimus. Decimũ, ubi ratiocinatio expers eſt ſyllogiſticæ formę. Vndecimũ, quando ignotius eſt aſſumptum, eo quod aſſerere proponimus. Duodecimum ſit, quando poſterius aſſumitur, ut id probetur, quod antiquius eſt. Addunt & recentiores, quando æque ignotum eſt aſſumptum, ſicut id quod colligitur, ſed hic modus non uariat à cæteris.

146

A' definitione ad definitum fit paralogiſmus, hoc modo.

Accenſio ſanguinis dementia eſt:

Ira eſt ſanguinis feruor, iccirco

Ira dementia eſt.

Ab uniuerſali ad particulare ſic

Omnis homo ambulat: atqui

Cicero & Plato & ſinguli homines ſunt iccirco

Cicero & Plato & ſinguli ambulant.

A' particulari ad uniuerſale

Cicero ambulat & Plato & cæteri omnes: igitur

Omnis homo ambulat.

A' diuiſione ad compoſitionem.

Cicero eſt animal:

Cicero eſt rationalis, igitur

Cicero eſt animal rationale.

A' correlatiuis

Ariſtoteles fuit Platonis diſcipulus: igitur

Plato fuit Ariſtotelis præceptor.

A' contrariis

Malum eſt fugiendum: igitur

Bonum eſt eligendum.

A' partibus ad totum, tribus modis paralogizamus: uerbi gratia, cum uel in notionibus, uel in eſſentia, uel integritate uerſamur & in primis.

A' partibus notionalibus

Species ſunt:

Igitur genus eſt.

A' partibus eſſentiam ſignificantibus

Materia & forma ſunt:

Igitur & compoſitum ex his.

A' partibus integrantibus

Manus ſunt caput & reliqua:

Igitur totum corpus animalis eſt.

A' toto ad parteis totidem modis & primum.

A' toto notionali

Genus eſt:

Igitur & ſpecies.

A' toto eſſentiam conſtituente

Compoſitum eſt:

Igitur materia & forma ſunt.

A' toto integrabili

Domus eſt:

Igitur & parietes & culmen.

Ab eſſentialiter ſeſe concomitantibus

Rationale eſt:

Igitur homo eſt

A' praua ratiocinandi forma, ubi aduerſus leges ſyllogiſtas ratiocinabimur.

Ab eo, quòd aſſumptum ignotius eſt eo quod aſſerere proponimus

Stellæ impares ſunt:

Igitur ſtellę non ſunt pares.

A' poſteriori ad prius

Virtus eligibilis eſt & honeſta:

Igitur uirtus bona eſt.

Deceptiones hæ, propterea fiunt, quoniam ſophiſtæ per has ratiocinanteis, ut confeſſum accipiunt, quod aſſerendū erat. Cęterum hi loci, quos enumerauimus, etiam Dialectico com

munes ſunt. differentiam hanc ſolam accipientes, quoniam ſi aſſumpta accipiantur ueluti poſtulata à ſyllogizante, ſophiſticæ ſedes appellantur. Quòd ſi ut notiora ſupponantur, argumenta dialectica efficiunt, & loci dialectici appellari poſſunt.

De conſequente. Cap. XI.

Conſequẽs eſt enthimematis pars, quæ ex aſſumptione colligitur: quoties ita argumẽtamur, ſi dies eſt, ſol eſt ſuper terrã: ſolem ſuper terram eſſe, conſequẽs eſt: aſſumptio uero, quod anteceſſerat, ſi dies eſt: ex hoc loco deceptio texitur, cũ quis ex conſequenti, putat aſſumptum ſemper colligi poſſe, ut exẽpli cauſa, omnis plãta ſubſtãtia eſt, iccirco omnis ſubſtantia planta eſt. uel in accidentalibus hoc more omne lac candidũ eſt, igitur & omne candidum lac. quorũ utrũq; perperam colligimus. Quod ſi aliquando, ex accidẽti, uſu ueniat, ut recte ex antecedente conſequens, & ex ipſo conſequente antecedens, reciproca commeatione colligamus, fit hoc beneficio materiei, ex qua ratiocinamur. uitium tamen formę ſemper ſubeſt. Hæc ratiocinatio duplex habetur, altera ubi terminos tales aſſumimus, ut ſint definitum & definitio, aut ſpecies, & ſpeciei affectio: ut ſi dicamus, riſibile eſt, igitur homo. homo eſt, igitur & riſibile. uel hoc modo, animal rationale mortale eſt, iccirco & homo. homo eſt igitur & animal rationale mortale. Additur, ubi cauſatũ conſequitur cauſam, ex ipſa natura rei: quemadmodum lunæ defectus, & terræ interuentus ſunt. Huius loci, quattuor formulę urgendi, excogitari poſſunt: hoc eſt, uel ubi conſequẽs accidens eſt, uel ubi ſubſtantia, uel ubi ex altero oppoſitorũ,

alterum colligimus,uel ubi,ex recta ratiocinandi forma,fieri poſſe arbitramur,ut & in contrarium recta ratio obambulet atq; reciprocet. Exempla horum ſunt.

Ab accidente ſic

Si aliquod lac eſt,candidum eſt : igitur
Si aliquod candidum eſt,lac eſt.

A' ſubſtantia

Si aliquis homo eſt,uiuens eſt : igitur
Si aliquod uiuens eſt,homo eſt.

Ab oppoſitis

Si aliquod uidens eſt,oculis præditum eſt: igitur
Si aliquod non uidens eſt,oculis captum eſt.

A' conuerſione conſequentis

Si album eſt,color eſt:iccirco
Si color eſt,album eſt.

Similem huic,rationem contexebat Meliſſus (authore Ariſtotele in phiſicis auſcultationibus) cum ita proponebat.

Quod factum eſt,habet principium :
Vniuerſum non eſt factum,quoniam ex nihilo nihil fit,
Igitur uniuerſum non habet principium. ex conſequenti infinitum eſt.

Huic Ariſtoteles occurrēdo,primū conſequēs exulcerat.

De non cauſa ut cauſa accepta. Cap. XII.

QVemadmodum in prioribus,nō penès hoc,illud ſignificabat,quod ſyllogiſmi definitionē non ſuſcipit,attamen ratio eſt,quæ ſiue probabilis appareat,ſiue manifeſte nō cōcludēs,eam ſyllogiſmi definitionis particulam

delet, quã dicere ſolemus, concluſionem,eo quòd hæc ſint, ſequi ex neceſſitate. impotentiam hanc ratiocinandi,Græci appellant μὴ παρὰ τοῦτο. *Hanc & in prioribus reſolutoriis latius, fuſiusq; tractat Ariſtoteles: preſſius uero,in elenchis: atq; eam hic,non cauſam,ut cauſam appellat, quemadmodum non penes hoc,in reſolutoriis. Huius decipuli forma eſt,quoties ad redargutionis metam,utimur eo,quod nõ cauſa eſt redargutionis,ueluti cauſa. Perſimile fit,ubi aduerſarium collaqueando adducimus in incommodum,eo ſyllogiſmo, quem ad impoſſibile uocant. Siquidem in rectis ſyllogiſmis,quos oſtenſorios appellant,etiam ſi non cauſa,ut cauſa ſumatur, nullum ſequitur incommodum. Veruntamen cũ falſum theorema,ex præmiſſis colligimus, quod aduerſarius negat,ipſum ad negandam alteram,quæ ſyllogiſmum confecerat, propoſitionẽ adducimus. quod ſi ipſum cogerimus, id negare,quod non cauſa falſi theorematis fuerat,ac ſi cauſa huius extitiſſet,tunc cauillus eſt,qui non cauſa,ut cauſa appellatur: ſeu alio nomine,non penès hoc. Affert Ariſtoteles hoc exemplum, Si quis petat,an idẽ ſit anima & uita: mox percunctanti,reſpondens eſto dicat, idem animam & uitã eſſe,tunc ſophiſta,hunc in modum urgere ſolet.*

Quod eſt corruptelæ contrarium,generatio dicitur:
Atqui mors corruptio quædam eſt uitæ contraria,
Sed anima & uita idem ſunt, igitur.

Vita generatio eſt;& uiuere generari: quod eſt per abſurdum. nam qui generatur,nondum uiuit. & qui uiuit, prius generabatur. Cum igitur hoc falſum eſſe conuicerit ſophiſta, falſam accipiet concluſionem, ex falſa propoſitione deductam prius fuiſſe, atqui aſſumpta propoſitio fuerat,ani-

nam & uitam idem eſſe, propterea eam redarguit. Deciſuli nodus ſoluendus erat, quoniam ea, quam prius concedebat, propoſitio fuit, uelut cauſa falſi theorematis accepta, cũ eius cauſa non ſit: ſed illa potius, quæ aiebat, mors eſt corruptio quædam. Fit hæc deceptio, interdũ in ſubſtantialibus, quorum exemplum ex Ariſtotele appoſuimus: interdum in accidentalibus, quorum exemplum modo ſubiicimus.

Si rationale omni ineſt riſibili,
Et ſi riſibile omni ineſt ſimiæ, igitur
Rationale ineſt omni ſimię. hic non cauſa, ut cauſa ponitur: neq; enim ineſſe omni riſibili rationale (hęc quidem erat hypotheſis) cauſa fuit impoſſibilis, ſed riſibile ineſſe ſimiæ.

De eo quod eſt plures interrogationes ut unam facere. Cap. XIII.

INterdum adeo ſophiſta, ad contentiones, decipiendi uia graſſatur, ut ſuis gordianis nodis imperitos, quadam ratione, à pręcedentibus longe alia, illaqueet; quos minus ac minus cautos cognorit: uel minus in his rebus circũſpectũ, quæ ad reſpondendum attinent. Hæc autem fallendi ratio ex eo fit, quod quis plureis interrogationes ita accipiat, ac ſi una tantum uiderentur. quo fit ut & rebus oppoſitis, contradictoriis, repugnantibus, & diſparibus eandem tribuens reſponſionem, facile decipiatur. Plures autem interrogationes ſunt (authore Ariſtotele) cum in hoc loco, tum in libro περὶ ἑρμηνείας, quæ uel unum de multis, uel multa de uno, uel multa de multis; proponit: ut an canis ſit ſubſtantia? an homo ſit ens? an canis ens? Aliæ ſunt plures inter-

rogationes,nomine,non re: ut utrum cultellus & enſis ſint incidentes an non. quædam plures ſunt, quoniam de rebus oppoſitis,uel maxime diſſimilibus eſſe dicantur: ut illa, putas'ne bonum & malum eſſe diuiſibilia necne? atq; hæc pluralem numerum habent. Quædam ita ſingulariter proponunt, putas'ne bonum & malum eſſe diuiſibile? Vnæ autem ſunt illæ interrogationes,quæ unum de uno afferunt,ut, eſt ne animal homo necne? aut illa,eſt ne cœlum mobile nec ne? Huius deceptionis genera,decem ſunt: quorum exempla, ſunt hæc,quæ ſequuntur.

A' rebus oppoſitis ſic

Putas candidum & nigrum eſſe diſgregatiuum uiſus?
Si non,igitur albedo non diſſoluit uiſum:
Si ſic,igitur nigredo ſoluit uiſum.

A' contradictoriis ſic,

Putas affirmationem & negationem eſſe ſimul ueras?
Si non,igitur non erit hęc uera,cœlum mouetur:
Si ſic,igitur erit hæc uera,cœlum non mouetur.

A' repugnantibus

Putas hominem & hinnibile,eſſe rationale?
Si non,igitur homo non erit rationalis:
Si ſic,igitur hinnibile erit rationale

A' diſparibus

Putas'ne albedinem & iuſtitiam eſſe uirtutes?
Si non,igitur iuſtitia non eſt uirtus:
Si ſic,igitur albedo eſt uirtus.

A' pluralitate ſubiecti

Putas'ne canem latrare uel non?
Si non,igitur latrabile animal non latrat:

Si ſic.

Si ſic,igitur ſydus latrat.

A pluralitate prædicati

Putas ne hominem eſſe ens?

Si non,igitur non erit ſubſtantia:

Si ſic,igitur eſt accidens.

Ab utroq;

Putás ne canem eſſe animal? * dum animal uiuens & depictum ſignificat.

Si non,igitur canis non eſt animal uiuens:

Si ſic,igitur ſtella eſt animal depictum.

A ſinonimis

Putás ne gladium & mucronem eſſe idem:

Si ſic,igitur gladius habet duas ſyllabas:

Si non,igitur non ſunt ſinonima.

A numero ſingulari

Putás ne niuem eſſe ſubſtantiam nigram?

Si non,igitur non eſt ſubſtantia:

Si ſic,igitur nigra eſt.

A numero plurali

Putás ne bonum & malum eſſe appetenda?

Si non,igitur bonum non eſt appetendum:

Si ſic,igitur malum eſt expetendum.

Illud tamen non ignorare oportet,tot eſſe nec plureis, pauciorés ue, ſophiſticas ſedes,quot enumerauimus: licet ſint, qui admirentur non parum, obſcuram in hoc loco diligentiã fuiſſe Ariſtotelis,qui eam deceptionem reticuit, de qua in ſecundo uolumine priorum reſolutionum egerat, & eſt deceptio ſecundum exiſtimationem uocata. Sed qui ita proponunt,animaduertere debuiſſent,eam deceptionem non per

tinere ad hunc locum: cum in his libris, tantũ illæ captiones conſiderentur, quæ ex propoſito decipientis prodeunt: ea uero quæ ſecundum ſuſpitionem fit, uitiũ eſt tantum ſyllogizantis, ubi aliquo uniuerſali accepto, quod duobus in exiſtat, mox & illa duo uni contingere poſſe arbitramur, non tamen contingunt: ut ſi animali accepto, ipſumq; in exiſtere dicamus bipedi, ac mortali: atq; horum utrũq; homini, mox hominem eſſe animal colligas, & eius oppoſitum nõ eſſe animal. Hæc enim deceptio, in eum tendit, qui ſyllogizat: non in alterum: quales ſunt ſophiſticæ, quę in aliorum perniciẽ & capturam uertuntur. Atq; hæc de locis ſophiſticis, oppido quàm diligenti & laborata interpretatione illuſtratis, dicta ſufficiant.

OMNIVM HACTENVS DICTARVM CAPTIONVM CENSVRA ET IN PRIMIS AEQVIVOCATIONIS CAVSA.

SOphiſtica æquiuocationis apparentia, ex ſimplici ſolitariaq; uocis alicuius pronunciatione conſiſtit: quę multiplicem retinet ſignificationem, ex natura rei.

AEQVIVOCATIONIS COGNITIO.

AEquiuocatio deprehenditur, ex cognitione uarietatis rerum ſermone ſignificatarum.

AMPHIBOLOGIAE CAVSA.

AMphibologia ex ſimplici ſolitariaq; oratione fit, ubi plura ac uaria ſub ſe ſignificata complectitur.

AMPHIBOLOGIÆ COGNITIO.

HAec percipitur, ubi quis latentia ſignificata, orationis, detruſerit: quod commodiſſime præſtabit, ſenſu recte accepto, & in utranq; partem æque diſtincto.

COMPOSITIONIS ET DIVISIONIS CAVSA.

HArum communis cauſa eſt, occulta & delitens quædam uis orationis, quæ plura interdum ſignificat, uel ubi oratio ſubit diuerſum iudicium conſtructionis.

VTRIVSQVE COGNITIO.

COgnoſcuntur ambæ, ex uaria ſignificationis comprehenſione: rurſus ex recta conſtructionum obſeruatione, in oratione facta.

ACCENTVS CAVSA.

HAec deceptio uim habet, ex grammaticali uocũ prolatione, perperam obſeruata: quam quis ſtatim deprehendit, qui diligenter & erudite, uocum tonos calluerit.

ACCENTVS COGNITIO.

HVius fallaciæ ſpecies deprehenditur, cum quis ſingulis uocibus ſuos tenores ita diſtribuet, ut nunq̃ uel à cõſuetudine eruditorũ uel ab illuſtriũ auctoritate diſcedat.

FIGVRÆ DICTIONIS CAVSA.

INnaſcitur hæc impoſtura, quoties aliquis, ſimilitudine uocum deceptus, in caute ab unius ad alterius dictionis uſuram, transfertur.

FIGVRÆ DIC. CO-
GNITIO.

PErcipitur hic nodus, ubi quis, propriam ſingulis uocibus ſignificationem poterit impertiri, nec ſimilitudine uocum, rerum ſubſtantiam metietur.

ACCIDENTIS
CAVSA.

COmmittitur hic deceptio, ſi quando plura ex accidē ti ita connectantur, ut uideantur ſubſtātialiter coire.

ACCIDENTIS CO-
GNITIO.

SOluitur hic cauillus, ſi quis inter ſubſtantiale, & id quod accidentale eſt, diſcrimen afferre poterit, tum inter idem ac diuerſum, tum inter unum ac multa.

SECVNDVM QVID AD SIMPLI-
CITER CAVSA.

HVic ſeſe ſcopulo impinget, quicunq; neſciat id, quod aliquo modo ſe habet ab eo ſecernere, quod pure & ſimpliciſſime dicitur.

SECVNDVM QVID AD SIMPLI-
CITER COGNITIO.

SOluetur hic locus, propoſita differentia, inter id, quod aliquatenus & pure dicitur: rurſus inter totum & parteis, & quod proprio uel improprio: necnon metaphorice, uel ex natura rei affertur.

IGNORANTIÆ ELENCHI
CAVSA.

h Vius decipuli cauſa eſt, cum quis ommittit aliquod, definitioni ſyllogiſmi, uel contradictioni, neceſſarium.

IGNORANTIÆ COGNITIO.

Cum quis non ommittet, quod uel ſyllogiſticæ formę, uel contradictionis legibus ſuppetit, ignorantiam cõfutationis ſuffugiet.

PETITIONIS PRINCIPII CAVSA.

Fallit, incautos, atq; imperitos, hæc deceptio, quoties ſub aliis uerbis, pro confeſſo accipimus, quod ſyllogiſmo aſſerere, ſtruereq; oportuerat.

PETIT. PRIN. COGNITIO.

Detegit hanc eiuſmodi deprehenſionem, qui diſſimilitudme uocum ne deceptus, ſimilitudinem rerum apprime concipiet: nec aliquid accipiet, quod ratiocinio colligendum uenit.

CONSEQVENTIS CAVSA.

Deperdite in hunc errorem decidit, qui tãtam eſſe affinitatem arbitratur, inter antecedentem & conſequentem partem argumentationis, ut ſemper exiſtimet alterum in alterum poſſe reciproca quadam obambulatione, recurrere.

CONSEQVENTIS COGNITIO.

Egregie conſequentis laqueum ſubterfugiet, qui cognita antecedentis & conſequentis parte, non reciprocabit: niſi ubi termini ſint pares, ab uno ad alterum.

NON CAVSAE VT CAVSAE CAVSA.

NOn cauſam ut cauſam uſurpabit, quicunq; falſam aſſumpti ſyllogiſmi propoſitionem, neſciuerit ab ea ſecernere, quæ uera eſt, ac extra præmiſſarum contextum accepta.

NON CAVSÆ VT CAVSAE COGNITIO.

TEnebitur huius fallacię notitia, quotiens peritus cognoſcet, ueram propoſitionem nō eſſe falſi theorematis cauſam, ſed quę cauſa mendacii eſt, poterit digito monſtrari & dicier hęc eſt.

PLVRIVM INTERROGATIONVM CAVSA.

QVi citra diligentem animaduerſionem acceperit, unam eſſe percunctantis interrogationem, quę tamē, aut prolationis iudicio, aut ſignificati ratione, multiplex habetur, id ſecundum hanc deceptionem fallitur.

PLVRIVM INTERROGATIONVM CAVSA.

NOn ſeſe dabit huic labirintho, qui multiplicem interrogationem, acceperit ut multiplicem: uel reſponſionem, ſub diſiunctione dederit, pro modo & occaſione interrogati.

FINIS SECVNDI LIBRI.

153

INTRODVCTIONIS AD SOPHISTICOS ELENCHOS, LIBER TERTIVS.

Quot modis ab authoribus ratio diluendorum ſophiſmatum inuenta ſit. Cap. I.

LOnga quidem, & copioſa quadam ueluti ratione docuimus, ex Ariſtotelis primo elẽchorum uolumine, quo nam pacto, ſophiſticę rationes exulcerandę ſint, iuxta ipſius Ariſtotelis conſuetudinem. Nunc breuiſſime ineunda nobis ratio eſt, qua breuiuſcula quadam locorum ſerie, illud idem pręſtare poſſimus. quod ut rectius fiat, omnes hucusq; excogitatas methodos aperiam, demum & noſtram enodabimus. Sic enim & ſtudioſis rem gratam feciſſe uidebimur, & eorum utilitati planè cõſuluiſſe, qui non multum in his ſtudiis uerſati ſunt. Vnde utilitas tironibus, ſermonis quidem puriſſimi ſinceritate comparetur. Qui uero altioris cognitionis ſtudio corripiuntur, noſtro hoc qualicunq; libello, interdum recreari poſſint.

Antiquus ſoluendi uſus. Cap. II.

DIximus. XIII. eſſe locorum generales formulas, quibus ſophiſticæ rationes confirmantur: proinde & totidem modis infirmari poſſe ſophiſtarum tendiculas. Quorum exempla cum ſuperius enucleata ſint, nunc illa pręter-

mittere omnino conſilium fuit.

Recentiſſimorum ſoluendi ratio. Cap. III.

ATqui ſtapulenſis, uir mea quidem ſententia eruditus, tum acerrimi iudicii. XIII. ſoluendi modos, ad tres ueluti claſſes, ita retulit. Primum ſtatuit omnes ſyllogiſmos, qui aut ex æquiuocatione fiunt, aut amphibologia, aut compoſitione & diuiſione, aut accentu, diſtinctionis alicuius multiplicis aſſumpti indigere. Deinde ſyllogiſmos, qui ex figura dictionis peccant, per acidens, per id quod eſt ſecundum quid ad ſimpliciter, per ignorantiam confutationis, per conſequens, per non cauſam ut cauſam, per id quod eſt multiplicem interrogationem ut unam efficere, vult ita eſſe diluendos, ut in omnibus negetur conſequentiæ forma. Cæterum in deceptionibus, quæ à petitione principii deducuntur vult aſſumptam partem eſſe uel omnino negandam, uel ſub dubio ſtatuendam. ſed oſtendamus in hac re, non adamuſſim elaboraſſe fabrum. Primum cum inquit aſſumpti diuiſionem, tantum æquiuocationi ſuppetere, amphibolog. diuiſ. compo. & accentui, explicanda èrat illa ratio diuidendi, quam ita ſicco pede præteriit. Sed eſto hoc illis maxime eſſe neceſſarium, id etiam cæteris præſtare poſſumus: maxime cum ille dicat, petitionem principii eſſe ſub diſcrimine aliquando & diſtinctione ponendam: atq; hæc de hac prima regula. Cum uero cæteros ſyllogiſmos inquit ita eſſe diluendos, quoniam in illis neganda ſit conſequentia, uidetur hoc minus egregie dictum. Nam ſi formam ratiocinandi congruam ſeruauerint, nullatenus negabitur uis conſe-

quentiæ

quentiæ, ſed uel altera præmiſſarum ſecabitur, uel rectam ſententiam illius propoſitionis interpretabimur. Rurſus cũ in tertia regula ita proponit, quod.ſ. petitio principii aut prorſus neganda ſit, aut ſub dubio uertenda, non uidetur illud ſempiternam habere uerificationem: ſi quidem non ſemper neganda eſt: quoniam ut uidimus, ſtatim ſophiſta oppoſitam partem ſubnectet. Non etiam ſub dubio conſtituenda eſt, quoniam ſophiſta urgens cupit à reſpondente reſponſionem detrahere, ut refellat, confutetq; aduerſarium. Dubia autem reſponſio, pro nulla reſponſione habetur. His itaq; de cauſis, non uidetur hæc tria planè ita ſufficere, ut in omnẽ ſyllogiſmorũ uſum apte & cõmode trãsferri poſſint.

Quo nam pacto id alii præſtiterint ſed incommode. Cap. IIII.

ALii mea quidem ſententia paulo perſpicatius intuentes, ad alia tria genera omnem ſoluendi rationem referre ſolent. Primum ut omnes modos in dictione conſiſtentes, ex diſtinctione uocis infringant. Secundum eſt, ut omnes modos extra dictionem poſitos ex rei diuiſione exulcerent, præterquàm duos illos compoſitionis & diuiſionis uocatos. Cæterum ſyllogiſmos, qui ex fallacia compoſitionis & diuiſionis ſoluendos putant, ex his quæ ſorticolæ habent in tractatibus de ſenſu compoſito atq; diuiſo. Primum hæ regulæ generaliſſimæ ſunt, nec certum ſcopum metamue ſtatuunt, unde ſoluendi peritiam doceant. Quo fit, ut inanes ſint ac contemnendæ. Poſtremo extra dictionem ſunt; in quibus praua ſtructura potius eſt perpendenda, quam rei

natura ſecanda: ut ille ſyllogiſmus qui à non cauſa ut cauſa colligitur.

Idem duplici methodo quàm diligentiſſime addidit Ariſtoteles. Cap. V.

QVicunq; falſum eſſe aliquem ſyllogiſmum oſtendit, rectam ſolutionem (inquit Ariſtoteles) molitur. Falſum autem ſyllogiſmum fieri dupliciter teſtatur: uel ubi falſas aſſumptiones conſtituit, uel ubi formam ſyllogiſticam non recipit. Qui ſyllogiſticam formam non ſeruat, is ille eſt, qui aduerſus librorum priorum reſolutiuorum generales leges colligitur: proinde ſoluendus eſt per interemptionem; quæ diſſolutio fit, ubi quis detegit ratiocinium nequaquàm contextum recta ratione fuiſſe. Quòd ſi congruam debitamq; ſeruet ſyllogizandi formam, uerũ fallaces aſſumptiones recipiat, diſtinctione infirmandus eſt. Ex quo loco habens neceſſe eſt, omnem ſophiſticum ſyllogiſmum, debitã formam ſeruantem, poſſe per diſtinctionem diſſolui. Quod facit aduerſus ſuperiorem fabri ſententiam; quam ſuperius adduximus.

Oſtenditur omnes etiam ſyllogiſmorum diſſolutiones, ex Ariſtotelis dogmatibus, poſſe ad unicam ſedem enumeratarum referri. Cap. VI.

DVplicem eſſe inquit Ariſtoteles, methodum, qua quis omnes ſyllogiſmos deceptorios diſſoluat: uel diſtinctione, uel ad ignorantiam elenchi ipſos reducendo. Quo

loco non audiendum eſt, ꝙ ita duę ſint hę rationes ſoluendi quòd ſyllogiſmorum, quidam diſtinctione, quidam confutationis inſcitia diſſoluantur. At ſenſus eſt, ꝙ tam ſyllogiſmi, formam ratiocinandi ſeruantes, quã non ſeruantes, poſſunt altera, aut altera methodo infirmari. Quem locum *illotis (ut aiunt) auribus recentiores acceperunt.* Nos uero *hinc meditationis noſtræ arrepta occaſione, dignum atq; opere prætium eſſe ſtatumus, ſi diligentem & meditatam* Ariſto*telis ſententiam interpretaremur, exponeremusq;. Illud tamen commodiſſime pręſtabimus, ſi quædam huic negotio peropportuna exordiemur, auſpicato inde initio, quod ignorantia elenchi (ut ſuo loco expoſuimus) erat deceptio ob id proueniens, ꝙ aliquid ommittebatur uel definitioni ſyllogiſmi, uel contradictioni neceſſarium, hac itaq; de cauſa fit, ut ignorantia elenchi faciat ad ſolutionem omnium paralogiſmorum,* Et *primum eorum, qui ratiocinandi formam non ſeruant.* Hi *enim reducuntur ad ignorantiam elenchi, ob illam cauſam, ꝙ ommittunt aliquid ad ſyllogiſmi definitionẽ pertinens, qui uero in materia peccant, ob eam cauſam in idem referuntur, ꝙ ommittunt aliquid ad contradictionem attinens: & ſunt hi omnes ſyllogiſmi, qui ex.* XIII. *enumeratis locis informantur.* Nam *uera contradictio habet hoc ſibi proprium, ut ſit de eodem, ſecundum idem, ſimiliter, & in eodem tempore.* Propterea *cum in omnibus enumeratis ſyllogiſmis quæratur contradictio, quæ conditiones ſuperius adiectas non ſeruat, ſit ut omnes ſyllogiſmi, qui captioſi ſunt, & ſyllogiſticam formam obtinẽt hac ratione in confutationis inſcitiam, reuocatum iri dicamus.* Vt *tamẽ artificioſum maxime modum ſoluendi interpretemur, quem*

155

per diſtinctionem appellat Ariſtoteles, placet nobis ſequenti capite de hoc genere diffuſius ac uberius diſſerere. Ex ipſomet Ariſtotele exemplo deſumpto. Quod ut cōmodiſſime faciamus, ſophiſma quodam diligenter conſiderabimus quod ipſe in poſterioribus analiticis diluebat: à quo ueluti idea quadam & ſimulacro animo depicto, diſſoluendi omnia ſophiſmata exemplum auſpicabimur.

Quo pacto omnia ſophiſmata per diſtinctionem infirmentur, ſumpto exemplo à ſophiſmatis diſſolutione; quam Ariſtoteles tribuit in poſterioribus. Cap. VII.

EXpeditis iudiciorum differentiis, quæ ad ſolutionē paralogiſmorum ſunt neceſſaria, illud ſubiciemus modo, quod ultimo loco pro negocii magnitudine & abſolutione dicere conſilium fuerat. Sed priuſquam ad hæc deueniamus oſtendendum eſt, quid diuiſio ſit: ac diuiſiua methodus. quo nam pacto hęc in uſum artium & diſciplinarum intro ducta ſit, quæ ſit eius uel neceſſitas uel utilitas, quibus partibus conſtet, demum unde in ſoluendis argumentis uim & efficaciam aſſumpſerit. Sciendū quatuor haberi apud dialecticos rationes, & methodos tradendarum artium. Has & Ammonius, & Philoponus, & noſtrates diuiſiuam, definitiuam, reſolutiuam ac demonſtratiuam appellant. Diuiſiuæ proprium eſt genus per differentias æque partiri. Definitiuæ quod quid erat eſſe, ex ſubſtantialibus expromere. Reſolutiuæ compoſita in ſimpliciſſimas, ex quibus componūtur, partes reſoluere. Demonſtratiuæ quæſitum dato ineſſe

ex cauſis & principiis aſſerere. Porrò exempla harũ ſunt: Diuiſio eſt, ubi animal, in rationale & rationis expers ſecatur, aut in mortale atq; immortale. Definitio eſt, ubi animal dixero ſubſtantiam eſſe animatam ac ſenſitiuam. Reſolutio, ubi animal in ſimiles ac diſſimiles partes, demum & has in elementa, ac elementa in formam & ſubiectum reſoluerimus. Demonſtratio, ſi animali dato ac propoſito, illi uiuendi functiones ineſſe comprobauero, hoc modo: quod ſentit ac creſcit gignitq; uiuendi gradus nanciſcitur, atqui animans gignit, creſcit, ac ſentit, iccirco animans uitæ functiones exercet. Harum uero differentiæ ſunt, quoniam diuiſionum, quædam totum in partes ſecant, & hę dupliciter fiunt, uel cum totum in partes ſimiles ſecemus, ut aqua uel oleum: uel indiſſimiles ut animal in caput & cætera membra. Quædam uocem in ſignificata deducunt ut pes, cum animalis & montis & nauis pedem ſignificat. quædam genus in differentias partiuntur. Aliæ ſubiectum in accidentia, ut hominum quidam candidi ſunt, quidam nigri. aliæ accidens in ſubiecta diſtingunt, ut alborum, quodam eſt lac, quodam cicnus, quodam margarita. Definitio alia nominis eſt, & cum expromitur, ſtatim in ethimologiæ ſignificationem tranſit, ut homo, quaſi ex humo coalitus dicitur. Alia rei, quæ à ſingulis cauſarum generibus exprimitur, ut à forma hominem finientes, dicemus id eſſe, quod ratione & mẽte donatum eſt: à materia quod carnibus, oſſibus, neruis ac tendonibus extructum eſt: à fine quod actione & contẽplatione perficitur: ab efficiente cauſa, quod ex ſole atq; homine genitus eſt, ſunt & alia finitionum genera ſexcẽta, quæ ſuo loco dicemus, ubi earum diuiſionem plena opera diſcu-

tiemus. Nunc hęc ſufficiant nobis. Reſolutio alia eſt quæ totum corrumpit, & ea eſt, quę cum totum diuidit, ipſum uere diſſoluit, ac delet, quæ diſſolutio, ac omnifaria corporis deſtructio nũcupatur. quædam ratione fit, ac totum diuidit citra rei interitum, cuius exemplum ſuperius adiectum eſt. Demonſtratio tametſi ſuas habeat differentias, hæc tamen nullam afferũt præſenti inſtituto neceſſitatem. Proinde harum naturam, ita conſtare dixerimus, ut diuiſionem ſimulari reſolutioni dicamus: definitioni demonſtrationem. Quod ſi iuxta earum perfectionem conſiderentur, habent hunc ordinem ut prior ſit demonſtratiua, Secundo loco definitiua, tertio loco reſolutiua, quarto loco diuiſiua; & hoc ubi demõſtratiua ita accipitur, quòd præſtantiſſimam artem demonſtrandi ſignificet. ubi uero minus perfectam artem tradit ordo eſt. Definitiua, demonſtratiua, reſolutiua, diuiſiua, ubi uero noſtrum cognoſcendi iudicium proſpexerimus, hoc modo diſponuntur, diuiſiua, reſolutiua, definitiua, demonſtratiua. aut diuiſiua, reſolutiua, demonſtratiua, definitiua. Cæterum tribus ommiſſis, ac de diuiſione differentes, ſciendum hanc nullam afferre in tradenda cognitione rerum neceſſitatem: utilitatem uero maximam, ſi Ariſtoteli credimus: licet & Stoici & Plato, neceſſitatem rebus imponere adſtipulentur. Nos uero præcipuam maxime habere uim percipimus, quoniam uocum ſignificatione diuiſa, tum multiplici orationum ſententia ſeiuncta, facile omnium paralogiſmorum genera infirmamus. quod ut oſtendamus, ſophiſma eorum afferemus, quos Ariſtoteles in reſolutoriis redarguit. Prius tamen cognoſcamus diuiſionem reſpondenti tantum utilitatem afferre: quoniam ex hac aduerſarii rationes infir-

matine utiquam arguenti, quoniam paralogizans diuiſionē occultare ideo ſolet, quia nemo ſua arma propalat aduerſario, cum quo caute dimicandum eſt. Sed ut iam expoſiti loci ſententiam afferamus, ſciendum eſt, ꝙ cum Ariſtoteles in poſterioribus reſolutoriis demonſtratiui ſyllogiſmi modum & ſtructuram inuenire ſtatuiſſet, tum ipſum eſſe ſcientialē aliquando per definitionē ipſius afferre decreuiſſet, in priori illius uoluminis parte, quam loco prçfationis præpoſuiſſe Ariſtotelem, teſtatur Philoponus, demonſtrationem, ex præcognitis fieri omnino contendit: tum quæ ſint hęc præcognita inquirit. Verum duæ aderant antiquorū ſectæ quæ Ariſtoteli aduerſabantur, hinc ſophiſtæ ſcire eſſe negantes, hinc Plato atq; Achademici ſcire eſſe reminiſcentiam aſſerētes: quod in Menone Plato ſub Socratis perſona, aduerſus menonem probat. Propterea in ea præfatione ſtatuit Ariſtoteles utranq; ſententiā, pro uiribus refellere. Qua de re quorundam attulit. ſophiſtarum cauillum, quo illi redarguebant eos, qui ſcire eſſe defenderent, attulit & ſolutionem quā Socrates in Menone conſtituit, concludens ſcientiam reminiſcētiam appellari: Sophiſma huiuſmodi eſt ex ignorantia elēchi peccans, hoc eſt confutationem faciens per redargutionem, cum oſtendere uolumus aliquem contradictoria ſimul afferre: atq; hoc modo proponitur,

Scis omnem dualitatem eſſe parem?

Tunc dicente te ſcire omnem dualitatem parē eſſe, hunc in modum urgebāt, afferēdo duitatē manu contectā,

At qui dualitas hęc, dualitas eſt, igitur

Nouiſti hanc eſſe parem, hoc tamen per abſurdum eſſe fatebantur, quoniam ſi dualitatem illam non nouimus, nec ꝙ ſit

par prius acceperamus: quo conſlito, aſſerere neceſſe eſt, ut idem ſciremus & ignoraremus. Quo in loco Ariſlote- *les reſpondebat, diuiſione quadam cognitionis excogitata:* Nam cognitio *uniuerſalis & particularis eſt.* V*niuerſale intellectus operatio eſt, particulare ſenſu ipſo uſurpatur. ut ꝙ omnis duitas par ſit intellectu & prȩcurrente quadā cognitione accepi, pariter ꝙ hæc duitas ſit, ſenſu cognoui, nō recordatione, ut* Plato *inquit: quod uero par ſit, noui ſub illa uniuerſali, prius in mente concepta:* Adiiciebat & Ariſtoteles, Theorema *priuſquam ſyllogizatum ſit, notum atq; ignotum poſſe appellari, uerum diuerſa ratione: ſiquidē notum eſt potentia, ac uirtute quadam, ignotum uero actu, & abſoluta cognitione.* Proinde *dualitas hȩc ꝙ par eſſet ignorabam priuſquàm hoc colligerem partim, partim & ſciebā.* Ex *hac duplici diuidendi methodo reſpondebat* Ariſloteles *ſophiſmati: primum ad peccantem materiam; reſponſione illa quæ inſtantia dicitur.* Eſt *enim inſtantia (authore* Am*monio in prædicamenta) cum totam aduerſarii ſententiam negamus.* Nam *ſophiſtæ deducere excogitabant idē ſciri & neſciri, propterea hoc primum non ſequi oſtendit* Ariſloteles; *quoniam exemplum de duitate nihil concludit, nam ꝙ hȩc dualitas, dualitas ſit, ſenſu acquiro, ꝙ par ſit, noui ſub illa uniuerſali, quȩ aiebat, omnē duitatem parem eſſe, propterea non ſequitur idem ſciri & ignorari, depromitur autem hȩc ſolutio ex themiſlii uerbis, quȩ hunc in modum (barbaro uertente) leguntur,* Nam *qui ſcit omne triangulum duobus rectis pares habere angulos interiores, nec ſciat hoc triāgulum eſſe, quod hac ſcœda delineatum ſit, cum primum oculos ad hoc triangulum coniecerit, ſtatim utiq; agnoſcet &*

diſcet:non tamen eodem modo agnoſcet & diſcet. Sed diſcet triangulum eſſe, agnoſcet duobus rectis pares habere. Nam triangulum eſſe nunc demum uidit didicitq́;, ſed habere duobus rectis pares, in illo uniuerſali pridem cognouit. Quoniam enim cognitio deſignati huius trianguli duo hæc requirat, & ut triangulus eſſet, & ut duobus rectis æquales habere intelligatur: Primum, ideſt triangulum eſſe conſpectu uſurpamus: atq́; ita diſcimus. Alterum ideſt, duobus rectis æquales habere ſyllogiſmo complectimur. Hæc ex themiſtio Ariſtotelis ſolutio eſt per inſtantiam, nec refert ſi modo dualitatis, modo trianguli exemplum acceperimus. Verum altera eſt ſolutio per fiduciariam improbationem, cum ſcilicet aduerſario concedimus totũ quod ipſe propoſuerat, uerum propoſitum non colligere adhuc oſtendimus. Aiebant ſophiſtæ fieri ut idem eſſet cognitum & ignoratum: uerum inquit Ariſtoteles hoc totũ uobis concedimus: nec per abſurdum hoc eſſe ex ſecunda diuiſione confirmat. Nam contradictio eſt eiuſdem, ſecundum idem & ſimiliter: propterea idem ſcire, & neſcire, partim ſcilicet potẽtia, partim actu, uel ſimpliciter cognoſcere & ignorare idem, ueram facit contradictionem: ſed imperfectè rem ſcirem, eandemq́; diſtincte ignorare, omne contradictionis iudicium tollit. Propterea ita dicendum eſt ad ſophiſtas, cum proponunt,

Tu inquis noſcere omnem dualitatem eſſe parem:
Hęc eſt dualitas, iccirco

Nouiſti hanc eſſe parem, ſed hoc eſt per abſurdum, quoniã hanc eſſe dualitatem prius ignorabas, quare idem intelligis & ignoras. Soluendum inquit Ariſtoteles hoc eſt, quoniam ea maior propoſitio tu noſcis omnem dualitatem eſſe parem

ſecanda eſt,nam ſi diſtinctè ac perfectè illud accipiatis, hęc conceditur uobis,uerum quod quæritis non concluditis, quoniam uultis manifeſtam redargutionem efficere,non tamen efficitis,quoniam cum oſtenditis me non nouiſſe hãc eſſe parem dualitatem,id uerum eſt diſtinctè atq; abſolutè: falſum tamen ſecundũ quid,quia hoc noui in uirtute uniuerſalis propoſitionis, ꝙ omnis dualitas par ſit. Sed enim uideamus hoc Ariſtotelis uerbis optime congruere,qui hunc in modũ proponit, Fit autem ut quæ cognoſcimus,eorum quædam prius cognouerimus,quorundam uero cognitionem accipiamus,ut quæcunq; ſub uniuerſalibus ſunt, quorum habetur cognitio: Quod enim omne triangulũ,habeat duobus rectis æquales,prius cognouimus, Quod autem hoc quod eſt in ſemicirculo triangulum ſit, ſimul ex inductione cognoſcimus. Hactenus prior diuiſio explicata eſt; qua ſyllogiſmi materiam infirmat,poſt paucis interiectis alteram ſectionẽ addicit hoc modo, Ante uero quàm facta ſit inductio, uel ratiocinatio,partim fortaſſe nos ſcire, partim neſcire dicendum eſt:quod enim non ſciuit an eſſet ſimpliciter, id modo aliquo ſciuit, quod duobus rectis pares habet ſimpliciter: Sed manifeſtam ꝙ ita quidem ſcit, quoniã uniuerſaliter ſcit: ſimpliciter autem non ſcit. Ex his uerbis quaſi fiduciariam improbationem tangens Ariſtoteles idẽ ſciri & neſciri poſſe annuit:non tamen ſecundum idem. Propterea quatuor ex illa ratione extruduntur. Primus eſt dualitas,alter eſſe parem, Tertius ſimpliciter cognoſci, Quartus ſimpliciter ignorari, Illud enim diuiſionis ingenium eſt,ut unũ in multas partes ſecet,propterea reſpondens,ex uno termino duos faciens,aut ex unica propoſitione duas inueniens, paralo-

giſmorum uim & laqueum facile ſubterfugit. Nam propoſita diſtinctione, partem aduerſario concedimus & partem nobis aliam tribuimus: unde uis cauilli non eſt quod amplius gliſcere ac turgere poſſit.

Propoſitam methodum, ex uariis Platonis locis ſelectam, utilem & accommodatam eſſe oſtenditur ad diluendos paralogiſmos. Cap. VIII.

PLato in Menone, inter cætera, quorum inibi diſputatio pertexitur, Socratem alloquentem ſophiſtam, nomine menonem introducit, qui dialogo nuncupationem dedit: hic enim cum ſapientiſſimo Socrate contentioſam habẽs diſſertationem, præſertim de uirtutis inquiſitione, ſermonem captioſum & tendiculis refertum excogitat. Sed Socrates anxie intrepideq; interrogat menonem, ut definitionem uirtutis aperiat. Contra ſtat Menon, oſtenditq; uirtutem nequaquam ſciri poſſe, hoc argumento. Aut uirtutem noſcis, aut non? Si noſcis nihil inquirendo, ueſtigandoq; intelligis, ſed quod prius ſciueras addiſcis: quod perabſurdũ eſt. Si ignoras igitur cum uirtutem offenderis, eam nũquam cognoſces: ut ſi fugitiuum ſeruum ammiſeris, quem non cognoſcas, nimirum & ſi illũ offendas, non deprehenderis. Propterea inanis & ſuperuacanea eſt omnis uirtutis inquiſitio. Cui obiectioni ita obſiſtit Socrates fieri enim teſtatur ut ſeruum inueniendo, reminiſcar eum eſſe fugitiuum hominem, quẽ quæro. proinde hinc & uirtutis inuentionem haberi, quoniam & ſi huius nullam in præſentia cognitionem teneam, ſit ta-

men ut reminiſcentia quadam illius notitiam recipere poſſim. Propterea hęc in Socratis ſermone diuiſio eſt: notitia duplex eſt, altera recens & noua, altera ex reminiſcentia deprompta: hac de cauſa Menonis cauillus infringitur, nam cum ipſe ſumit, aut uirtutis cognitionem poſſides, aut non? non poſſidere aiendum eſt: cum uero ſubſumit, igitur cũ ipſam offenderis non agnoſces, affirmandum eſt ſi de recenti, & noua cognitione intelligamus, negandum ſi de ea, quæ in reminiſcentia conſiſtit, intelligat Menon. Verba Platonis placuit in medium afferre, ut eius ſermoni congruere oſtendamus quæcunq; dudũ attulimus. Ait enim ipſe SOCRATES *at unà tecum hoc diſcutere inſtitui, quid ue ſit uirtus inueſtigare.* MENON, *at quo nam iudicio id inuenies ò Socrates? quod quidẽ omnino ſit neſcias? quale enim tibi proponens id quod ignoras inquires? aut etiam ſi in illud incidas, quo nam ſigno id quod ignoraueras, eſſe illud agnoſces? Hactenus Menonis argumentũ tum* SOCRA. *intelligo quid uelis ò Meno. At tu animaduertis ne quàm litigioſam argumentationem in medium adduxiſti? quæ uidelicet homo neq; quod noſcit, neq; quod ignorat, inquirit. &c. uerum nonnullis interiectis, argumenti uim hoc modo infirmat, inquiens; Cum enim uniuerſa natura conueniens ſit, ac ueluti ſemper ſibi conſtans, & animus omnia cognouerit nil uetat, hominem unius cuiuſdam reminiſcentiam habens, quam diſciplinam appellant, cætera omnia memoria repetere: Si quis adeo animo conſtet, ut explorando minime fatigetur. quærere igitur, ac diſcere reminiſci quodam eſt. Hæc Socrates.*

Idem ex ſophiſta, uel de ente oſtenditur.

Cap. IX.

LOcus eſt in dialogo de ente, ubi hoſpes & Theætetus collocuntur. Nam probaturus hoſpes omnia moueri, ac quieſcere omnia, quorum perabſurdũ maxime eſt utrũq;, ita proponit, primum oſtendens omnia moueri, hac ratione; quoniam ab eo quod iure eſt, non poteſt & uita & motus & anima abeſſe; nam ſi cum ſempiterna uita, anima coniungitur, igitur & motus, quoniam infœliciſſimum eſſet ens nõ poſſidere omnium rerum perfectionem: uerum cum ex motu quædam acquiratur perfectio, non uidetur motum ab ente quod uere exiſtit eſſe ſubmouendum. Hic primus eſt paralogiſmus. Alterum quo omnia quieſcere adſtruit ſic ſubnectit. Nam quod uere & iure ens eſt, id eodem modo & circa idem conſiſtit: quod ita conſiſtit immobile eſt, iccirco immobile eſt ens, quare omnia ſtatum ſuſcipiunt & quietẽ: quod perridiculum eſt. Horum paralogiſmorum uis, inde confirmatur, ꝙ ens ita accipiunt, cum ipſum eſſe permanens faciunt, ac ſi totum ens uelut unum ſtabile & permanens intelligatur: quod concedendum non erat. pariter cum ipſum eſſe mobile aſſumimus, ueluti totum ens, motui obnoxium acceperamus. quod nec agendum erat, dicendũ tamen (ut inquit Plato) Ens non eſſe unum ut parmenides adſtipulatur: & cum quęritur, an mobile, an ſtabile ſit, dicendum nec motum, nec ſtatum continere totum ens, Sed aptum eſſe ad utriuſq; informationem, pro modo & occaſione ipſius. Verba Platonis ſunt, HOSPES quid uero, dic per Iouem reuera motum, uitam, animam, ſapientiam nunquid ab eo, quod

„ *omnino ac uere eſt ſeparari prorſus credendum? neq; uiue-*
„ *re ipſum neq; ſapere, neq; uenerandum, ſanctamq; mentem*
„ *habere: ſed immobile, ſtabileq; eſſe?* THEÆTETVS,
„ *abſurdum nimis id hoſpes, ſi concedatur.* HOS. *nũquid*
„ *mentem quidem habere, uitam uero minime?* THE. *qui*
„ *iſthuc?* HOS. *an hęc utraq; ineſſe illi dicemus, non ta-*
„ *men ab eo in anima contineri?* THE. *at quo nam modo*
„ *alio contineret?* HOS. *utrum mentem, uitam, animam*
„ *habere dicendum, immobile tamen cum omnino ſit, anima-*
„ *tum conſiſtere?* THE. *hæc omnia mihi ratione carere*
„ *uidentur.* HOS. *motum igitur & motionem tanquã exi*
„ *ſtentiam adeſſe fatendum.* THE. *quid obſtat?* HOS.
„ *ex hoc ò theætete ſequitur mẽtem, nulli rerum immobilium*
„ *uſquã ullo modo de ullo adeſſe, hæc quo ad priorẽ argumen*
„ *tationem. nunc aliam ita ſubnectit,* HO. *uidetur tibi, ci-*
„ *tra quietem exiſtere unquam poſſe, quod dicitur, Secundum*
„ *eadem, eodem modo? & circa idem?* THE. *neutiquã.*
&c. Solutio *ſubnectitur; paucis interiectis, hoc modo,*
„ HOS. *ergo tertium quiddam ipſum ens cogitas: & tanq̃*
„ *ſub illo motus & ſtatus contineantur, comprehẽdis utraq;:*
„ *atq; eorum in eſſentia communionem reſpiciens ſic eſſe am-*
„ *bo denominas.* THE. *uidemur re uera tertium quiddã*
„ *ipſum ens uaticinari, quãdo motum & ſtatum eſſe dicimus.*
„ HO. *hac de cauſa ipſum ens, ambo iſta motus & ſtatus*
„ *non eſt, ſed propter hęc aliud.* THE. *apparet.* HO.
„ *ens itaq; ſuapte natura neq; ſtat penitus, neq; mouetur hęc*
Plato. *quæ duę fallacię, ſi in* Ariſtotele *conferantur, à ſecun*
dum quid ad ſimpliciter appellari poſſunt. Termini *qua-*
tuor in utraq; conſiſtunt. Prior *habet hos: ens ſimpliciter,*

ens in parte mobile, ens in parte non mobile, motus. deinde alia, ens ſimpliciter, ens in parte mobile, ens in parte ſtabile, quies.

Eadem ſoluendi ratio ex Protagora in medium affertur. Cap. X.

PRotagoras apud Platonem, ſophiſta quidam erat publicus & mercenarius, cui adoleſcentes pecunias inutiliter erogabant: delectati eius mira & incredibili facũdia in dicendo, reflectendoq; aduerſarii partes. Hunc cũ Socrate Plato diſſerentem introducit, ita tamen ut inanem, & contẽtioſum ineruditumq; hominẽ eſſe oſtendat. hunc eruditè Socrates carpit, confutatq; Verum inter cætera, de quibus diſputatio habetur, extat controuerſia, an ex Simonide, hominem fieri bonum facile, an difficile ſit, rurſus utrum Simonides recte dixerit an perperam. Socrates huic reſpondens, Simonidem defendit, ſed Protagoras contentioſam diſputationem exorditus, Socratem uult reflectere, ac Simonidẽ ſibi aduerſari omnino commonſtrare. Verba Platonis adduxi, ut & ratiociniũ & redargutionem perciperent, quicunq; in hoc genere exercitationis uerſantur, ait enim Protago-
„ ras: Dicit Simonides ad Scopam, Creontis Theſſalici filium,
„ difficile eſſe uirum uere bonum fieri, manibus, pedibusq; &
„ mente tetragonum, ideſt quadrangulum, abſq; uituperatio-
„ ne fabrefactum. Tenes ne memoriter carmina: uel ut re-
„ feram expetis? SOCRATES nihil opus eſt: teneo nãq;
„ & diligens mihi horum carminum cura fuit. PROTA-
„ GORAS. bene loqueris: utrum bene, recteq; dixiſſe tibi

,, *uidetur Simonides an nõ? SO. immo optime. PRO. ui*
,, *detur ne recte loqui poeta, ſi ipſe ſibimet contradixerit.*
,, *SO. minime. PRO. attende igitur quam diligẽtiſſime*
,, *SO. ſatis ò bone uir attenti ſumus. PRO. in eiſdẽ car-*
,, *minibus, poſtea ſubdit, Pittaci licet ſapientis uiri ſententiã*
,, *abſonam ſibi uideri; qua inquit, difficile eſt bonum manere,*
,, *cernis eundem Simonidem hęc & ſuperiora dixiſſe? SO.*
equidem. Hactenus uis cauilli. Huiuſce impoſturę nodum,
paulo poſt ita diſſoluit Plato: nonnullis quidem adiectis. Nõ
,, *enim dixit Pittacus, difficile eſſe uirum fieri bonum, ut Simo*
,, *nides, ſed bonum perſeuerare: eſt autem non idem ò Prota-*
,, *gora, ſicut arbitratur Prodicus ille, eſſe & fieri. Si autem*
,, *non idem eſt eſſe, quod & fieri, haud quaquàm ſibi ipſi Si-*
,, *monides contraria ponit. Hæc ſolutio ex diuiſione uerbi fie*
ri & permanere uim capit. Sed & Socrates, ſuam quoq;
tribuens ſolutionem, in eodem dialogo, aliis interiectis; proſe
,, *quitur, Quare compendioſe formam & conſilium huius poe*
,, *tę exponemus. Proponit enim in ſingulis uerſibus uerba*
,, *Pittaci deprehendere: ait enim paulo poſt fermè hunc in mo*
,, *dum, quod effici uirum bonum difficile uere; poſſibile tamẽ*
,, *ad tempus. Factum uero eo in habitu perſeuerare, eſſeq;*
,, *bonum ut ipſe ais ò Pittace, impoſſibile eſt: neq; humanum:*
,, *ſed ſolus hoc deus munere fungitur: hominem uero ita bonũ*
,, *perſeuerare, ne rurſus labatur, impoſſibile eſt, quem ſors ino*
,, *pia torquere ſolet.*
Sed ne diutius ſtudioſos morer, ſciendum bis aut ter in eu-
thidemo eandem methodũ ſoluendi diuinum obſeruaſſe Pla
tonem: bis etiam in minore hippia: ac ſemel in Gorgia. Hęc
ſi ſtudioſis curæ ſint, poterunt diligentiſſime uideri. Cęte-

rum ut oſtendamus,per hanc diſſoluendi rationē,omnia paralogiſmorum genera diuidi poſſe, ac in quatuor terminis peccare, omnes ſuperiores arguendi formas percurremus: ſumpto ab ipſa æquiuocatione initio.

AEQVIVOCATIONIS SOPHISMA.

QVilibet homo animal eſt,
Atqui figura depicta homo eſt, igitur
Figura depicta eſt animal.

Maior ſcinditur: ſi enim ita proponatur ꝙ homo ſit animal, hoc eſt,ꝙ tam uiuus homo quam pictus animal ſit, falſa eſt, minore uera exiſtente. at ſi homo uiuum tantum hominem proponat,maior uera eſſe poterit,minore exiſtente propoſitione falſa. Ex his conſtat,ubicunq; aliquis reſpondet,ipſum oportere ex unica propoſitione, duplicem eam conſtituere: rurſus omne ſophiſma cum diuiſione diſſoluitur, Quatuor habere terminos neceſſe eſt,ut hic termini ſunt,homo uiuēs, homo pictus,figura,animal.

AMPHIBOLOGIÆ EXEMPLVM.

QVicquid uolat,animal eſt pennatum,
Sagitta uolat, iccirco
Sagitta eſt animal pennatum.

Si ſenſus ſit in maiore,ꝙ quicquid proprie uolat pennatum ſit animal,infirmata minore, ipſa confirmatur. Si uero & proprie & metaphorice illud intelligat,minore conceſſa,extruditur maior,ut mendax. Quatuor termini erunt, uola-

re proprie, uolare improprie, ſagitta, pennatum animal.

COMPOSITIONIS ET DIVISIONIS EXEMPLA.

q Vicunq; numerus, ex duobus & tribus conficitur, eſt
duo & tria:
Quinarius ex duobus & tribus conficitur, iccirco
quinarius eſt duo & tria.

Si maior compoſita afferatur falſa eſt, minore uera exiſtente. Si uero diuiſim accipiantur, falſa eſt minor, uera exiſtẽte priori propoſitione.

quo uides interfectũ eſſe Socratem, eodẽ interfectus eſt:
Oculo uides interfectum Socratem, iccirco
Oculo eſt interfectus Socrates.

Si maior ſumat particulam Σquoʒ ut coniungitur cum uerb Σuidesʒ hoc modo prior propoſitio uera eſt atq; compoſita, minore falſa exiſtente, ubi uero eadem particula, cum eo quod eſt Σinterfectum eſſeʒ conſtruatur, falſum dicit, & minor uerum. quatuor termini prioris decipuli ſunt, ex duobus & tribus compoſite: ex duobus & tribus diuiſim: Quinarius: duo & tria. ſequentis uero, Quo adiunctum uides: Quo, adiunctũ interfectum eſſe: oculo: Socrates.

ACCENTVS EXEMPLVM.

Q Vicquid ſolet terrere horrendum eſt:
Colonus ſolet terere, igitur
Colonus horrendum quodam eſt.

Maior ſi ſumat terrere, media ſyllaba producta, uera eſt, minore falſa exiſtente. Si uero media correpta, minor ueriſſima eſt, at maior non uera. Quatuor termini ſunt terrere, terere, horrendum, colonus.

FIGVRÆ DICTIONIS EXEMPLVM.

QVæcunq; induitur ueſte candida, fœmina eſt,
Catilina induitur ueſte candida, igitur
Catilina eſt fœmina.

Nodus eſt; ſi maior ſit pro fœminino genere accepta, uera eſt, minore exiſtente falſa. Quod ſi maior proponat maſculinum genus ac fœmininum uerum dicit minor, falſa eſt tamen maior, & aduerſus leges ſermonis propoſita eſt. Quatuor termini, quęcunq; pro maſculino: quęcunq; pro fœminino genere: mulier, Catilina.

SECVNDVM QVID AD SIMPLICITER EXEMPLVM.

QVi malus eſt orator, orator ille eſt:
Callias malus eſt orator; iccirco
Callias orator eſt.

Si maior oratorem in utraq; uice, ſecundum eandem ſignificationem accipiat uera eſt ſed nugax: Si uero accipiat malum oratorem ſimpliciter eſſe & perfectum oratorem, falſa eſt, minore uerum proferente. Quatuor termini ſunt, orator ſimpliciter: orator ſecundum quid: Callias: malus.

IGNORANTIÆ ELENCHI EXEMPLVM.

CIcero albus eſt ſecundum dentes:
Cicero niger eſt ſupercilia, igitur
Cicero albus eſt & niger.

Si concluſio ſumat Ciceronem eſſe album & nigrum ſecundum partes uera eſt, ſi uero ſimpliciter illud accipiat, falſa dicitur, nec ſequitur ex propoſitionibus in parte ſumptis.

quatuor termini ſunt Cicero: album eſſe in parte, Cicero album eſſe in toto, Cicero nigrum eſſe in parte, Cicero nigrũ eſſe in toto.

PERITIONIS PRINCIPII EXEMPLVM.

ILle diſcipulus eſt, qui præceptorem habet:
Atqui Ariſtoteles fuit Platonis diſcipulus, igitur
Plato fuit Ariſtotelis præceptor.

Quoniam ex hoc loco (ut ſupra monuimus) uera cõcluſio colligitur: at præmiſſæ æque dubię aſſumũtur atq; cõcluſio; iccirco alia ratione à cęteris longe alia hæc ſophiſmata diluuntur: atq; hoc modo, ſi maior nota ſit, concluſio non erat ſyllogizanda, quoniam æque nota eſt ac illa: ſi uero maior ignota eſt, ita & de concluſione aiendum: nam ita dubia eſt ſyllogizata concluſio, quemadmodum antequàm ſyllogiſmo colligeretur.

CONSEQVENTIS EXEMPLVM.

SI aliquid lac eſt, id candidum eſt:
Sed aliquid candidum eſt,
Igitur lac eſt.

Si maior propoſitio aſſumat, cuicunq; lacti candorem ineſſe, uera eſt, ſed minor extra propoſitum ſubſumitur: eſt autem pro minore, ſecunda illa propoſitio intelligenda, quæ inquit Σſed aliquid candidum eſtΣ non enim hic proprie minor propoſitio & concluſio, ut in cæteris habetur. Quod ſi maior accipiat, quodcunq; candidum ineſſe lacti, falſum dicit, minore uera exiſtente.

NON CAVSÆ VT CAVSÆ EXEMPLVM.

Anima & uita idem ſunt:
Atqui generatio eſt corruptioni oppoſita,
Mors corruptio eſt quædam uitæ contraria:
Atqui anima & uita idem ſunt, igitur
Vita eſt generatio, & uiuere generari.

Inſulſiſſimę huiuſce rationis uim hinc deprehendimus, quod ſi intelligatur, hanc cõcluſionem falſam ſequi ex ea prima omnium propoſitione, hoc negandum uenit: nam ex ea collecta eſt, quæ tertio loco proponitur. Si uero non acceperimus ex priori propoſitione falſum theorema eſſe collectum, nihil cõcludit ſophiſta. Termini ſunt nouem; Anima: uita: idẽ eſſe: generatio: contrarium corruptioni: mors: corruptio: uiuere: generari.

PLVRIVM INTERROGATIONVM VT VNIVS EXEMPLVM.

Putas hominem & rudibile animal eſſe rationis cõpoſ?
Si non, igitur homo non erit rationis compos:
Si ſic, igitur rudibile animal rationale erit.

Huic, ac conſimilibus cæteris, hac lege adhibẽda ſolutio eſt, ſi maior propoſitio, quæ ſub interrogationis forma affertur, ſumat utrum æque homo & rudibile animalia ſint rationalia, negationem dicemus; minor uero in propoſito non eſt, quoniam partẽ ſubſumit duntaxat. Quod ſi pro altera parte ſumatur maior, ſectione indiget, ita ut uera pars colligatur, falſa uero excludatur. Termini huiuſce decipuli ſunt, homo in parte, rudibile in parte, homo & rudibile in toto, rationis compos, Hæc itaq; lucidè & adamuſſim in mediũ

producta, artem illam ſoluendorum paralogiſmorum unico exemplo tradidimus. Quam ita poſteriores deſpexerunt, ut ne quidem illius ueſtigium appareat. Hanc igitur ueluti ab inferis reuocare ſtatuimus. Cæterum liberalium artium profeſſores ita exoratos eſſe uelint ut diligentiam hanc qualencunq; noſtram æqui boniq; faciant, ac Deo opt. Max. Si quid uel eruditionis, uel utilitatis ex ſcriptionibus noſtris acceperint, totum id acceptum referant: qui cum ſumma atq; immenſa ueritas ſit, in rebus dubiis ueritatis & ſcientiæ illuſtrationem molitur.

QVÆDAM VETVSTISSIMA CAVILlorum exempla, ad exercitationem ſoluendi, recenſentur. Cap. XI.

CÆNEI Cauillus.

PRobaturus hic ignem, celerrimam habere generationem, hoc ſyllogiſmo (authore Ariſtotele) utebatur, quod celerrime generatur, in multiplicata analogia generatur, atqui ignis in multiplicata analogia creſcit generaturq;, icciro ignis celerrime generatur.

SOLVTIO.

PEccat hic quia paralogiſmus eſt ex ambabus affirmatiuis in ſecunda figura.

ANACHARSIDIS cauillus.

VBi ſunt uites, non ſunt tibicines.
Apud Scythas non ſunt uites, igitur
Apud Scythas non ſunt tibicines.

165

SOLVTIO.

EX non cauſa ut cauſa ſyllogizat: non enim quia uites non ſunt apud ſcythas iccirco non ſunt tibicines, ſed quoniam exhilarationem non habent; quæ poſtea ex uini potione fit, quod uites deinde producũt.

BRISSONIS *cauillus.*

q *Vadraturus hic circulum, hac ratiocinãdi forma utebatur, inter maius & minus eſt dare æquale, ſed propoſito circulo eſt dare quadratum intimum & extimũ; hoc quidem maius, illud uero minus, igitur & æquale quadratũ medium circulo dabitur, quod eſt propoſitum.*

SOLVTIO.

EX non cauſa ut cauſa ratiocinatur, quod ex primo libro elenchorum tum ex reſolutoriis Ariſtotelis *unuſquiſq; perſpicere poteſt. eodem modo &* Hippocrates *ſyllogizabat (authore* Ariſtotele *in elenchis) &* Antipho; *rurſus &* Zeno *cum probaret, melius eſſe ut à cœna ſit ambulãdum, non medicã, ſed cõmunẽ rationẽ & cauſam ſuſcipiẽs.*

CRATIS *cauillus.*

CRates cœlum clibanum eſſe ſtatuens, hunc in modum ratiocinari ſolebat, ubi collocantur carbones igne educati, demum in cineres conuerſi, inibi eſt clibanus: atqui homines, animalia quæq; & plantæ ſole educantur, qui cœleſtis ignis eſt, demum in cineres reſoluimur, cœlum igitur clibanus quidam eſt, uerba huiuſce inſulſi hominis hæc ſunt, ut Ariſtophanes *irridendi occaſione Socrati obiicit.*

Ἐνταῦθ' ἐνοικοῦς ἄνδρες οἳ τὸν οὐρανὸν
Βέγοντες ἀναπειθοῦσιν ὡς ἐστι πνιγεὺς
Κ'ἄστι περὶ ἡμᾶς οὗτος ἡμεῖς δ' ἄνθρακες.

SOLVTIO.

HIc eſt fallacia æquiuocationis: quoniam metaphorice ſol ignis dicitur, rurſus inepta quædam eſt inter homines & animalia ſimilitudo cum carbonibus.

ANAXAGORÆ cauillus.

LItem & concordiam, ſtatuens Anaxagoras naturaliũ rerum eſſe principia (referente Ariſtotele) hoc paralogiſmo hæſitabat, Elementa ſimul redacta, amoremq; contrahentia mundum corrumpunt, Chaos elementa redigit, ſimulq; omnes eius partes amica coniũctione cõponit, Chaos igitur eſt mundi diſſolutio.

SOLVTIO.

AMicitia in rebus animatis & præcipue uoluntate prę ditis conſiſtit: improprie in rebus anima deficiẽtibus, deceptio eſt de genere earum quæ ex æquiuocatione ſunt.

HERMINI cauillus.

QVod aliquid excedit, eſt maius exceſſo,
Atqui olera excedunt terram, igitur olera ſunt maiora tota terra.

SOLVTIO.

A Secundum quid ad ſimpliciter procedit: nam excedere duplex eſt uel ſecundum totam corporis molem & hoc modo uera eſt prior propoſitio aſſumpta: uel ſecundũ ſolã altitudinẽ, uerũ hoc modo maior propoſitio nõ uera eſt.

PLATONIS cauillus.

IN Epinomide Plato elementa animata eſſe conſtituens, quoniam nefas ſit aliquam mundi plagam, expertem animæ ſtatuere, ſic ratiocinatur, Qualibet animantis corporis partes anima & uita donatæ ſunt, atqui Elemẽta ſunt ani-

mati corporis partes, uerbi gratia mundi: iccirco elementa anima prędita ſunt.

SOLVTIO.

A *Equiuocationis nota cõmittitur: non enim animal uniuoca ratione de corruptibilibus uerificatur, ut de mũdo, proinde maior aſſumpta uera eſt de animantibus interitui ac generationi obnoxiis, non autem de animali diuino & incorruptibili, nam hoc improprie animal dicitur.*

DIONISII *Cauillus.*

D *Ioniſius tirannus (authore Valerio) barbam Apollinis ſuffuratus, hoc ridiculo ſophiſmate utebatur. Barba apollini non ineſt, ſed aurea barba apollini admota eſt, igitur barba ab apolline demenda uenit.*

SOLVTIO.

A *Equiuocatio eſt, quoniam barba quę pilis conſtat, demenda eſt ab apolline, non quę ad decorem deorum; ex hominum pietate ac religione conficitur.*

HERMOGENIS *Cauillus.*

O *Mnis homo mendax eſt: atqui dicit hominem mendacem, homo ille eſt, igitur & qui dicit hominem eſſe mendacem mendax eſt.*

SOLVTIO.

E *X ignorantia elenchi fit: non enim eiuſdem eſt, ſecundum idem & ſimiliter, nam maior illa uera eſt pro aliquo certo tempore, falſa pro quocunq;.*

LEVCIPPI *Cauillus.*

Q *Vi inſanus eſt, ſolitudinem petit: Criptolaus ſolitudinem petit, igitur Criptolaus inſanus eſt.*

SOLVTIO.

EX conſequentis deceptione procedit, ubi termini non reciprocant ad inuicem: rurſus ex utraq; eſt affirmatiua in ſecunda figura: quo fit ut & ignorantiam elenchi committat.

AVLI GELLII Cauillus.

QVod ego ſum, tu non es: atqui ego homo ſum, igitur tu non es homo.

SOLVTIO.

AB accidente hæc ratio contexitur.

OLIMPIODORI platonici cauillus.

ANimam hic probaturus, numerum eſſe, ſeipſum mouẽtem, ut platonicæ blandiretur definitioni, hoc more ratiocinabatur, Anima numerus eſt, Anima ſeipſam mouens eſt, igitur anima numerus eſt, ſeipſum mouens.

SOLVTIO.

PRincipii petitio fit: quod enim dubium eſt aſſumit, & idem. aſſerit quod ſyllogiſmo conſtruendum erat.

GALENI SOPHISMA.

QVod in calidi, frigidi, humidiq; & ſicci mixtura cõſiſtit, temperatura quædam eſt, atqui rationalis anima in calidi, frigidi, humidi, ac ſicci mixtura conſiſtit, igitur rationalis anima temperatura eſt.

SOLVTIO.

SVmitur conſiſtentia in calido, frigido, humido, ac ſicco pro eo quod functiones in illis exercet, & pro eo quod ab ipſa ex toto innaſcitur permixtione: uerũ æquiuoce. Propterea anima rationales habet functiones à pmixtione acceptas, nõ tamen ſubſtantiã ex permixtione nanciſcitur.

SIMPLICII Cauillus.

CVm cœlum probaturus eſſet ſimplicius, ex purioribus elementorum particulis, ſiue eorum ſumitat l us, con- ſtare, hoc ratiocinio abutebatur, quod uiſibile eſt, corporeũ eſt, ac ex elementis conditum, cœlum uiſibile eſt, igitur cor- poreum & elementis conditum.

SOLVTIO.

ET ſi maior falſa ſit, quoniam & color uiſibilis eſt, non tamen corpus ex elementis conditum. peccat tamen ex fallacia accidentis uocata, quoniam uiſibile accidit, eo quod eſt ex elementis conditum: nam ordinem ſubſtantialẽ hæc non ſimul obtinent.

PARMENIDIS Cauillus.

QVicquid eſt citra ens, non eſt ens: atqui quod non eſt ens nihil eſt, igitur ens eſt unum.

SOLVTIO.

SOluitur bifariam: tum quoniam ſyllogiſticam formã nõ ſernat, tum quoniam ex æquiuocatione deductum eſt, ut fuſius eſt uidere in phiſicis auſcultationibus.

MELISSI Cauillus.

QVod factum eſt habet principium: uniuerſum non eſt factum, quia ex nihilo nihil fit, igitur uniuerſum non habet principium, iccirco eſt infinitum.

SOLVTIO.

PEccat confutationis inſcitia, tum ex conſequentis falla- cia, ut ſtatim apparet.

HERACLITI Cauillus.

QVicquid caret conſiſtentia non cognoſcibile eſt: ca- duca carent conſiſtentia, igitur non ſciri poſſunt.

SOLVTIO.

q Vanquàm minor ſit mendax, ꝙ mortalia quęq́; certo quodam tempore, ſuã non habeant conſiſtentiã: conſiſtentiæ tamen nomẽ ambiguum eſt: itaq́; eius multiplicitas eſt ſecanda: nam quædam ſolida eſt & firma quæ ad ſcientiam pertinet: quædam accidentalis quę ad ſcientiam non attinet, itaq́; quatuor termini ſunt, conſiſtentia ſolida, conſiſtentia accidentalis, caduca, non cognoſcibile.

SVIDÆ Cauillus ex M. T. Cicerone.

CRœſus halyn penetrans, magnam peruertet opũ uim.

SOLVTIO.

HAec oratio amphibola eſt, quoniam peruertere duplex ſignificat, ſeu dupliciter conſtrui poteſt. & ꝙ Crœſus diſſipabit aliorum uel propriam opum uim.

INCERTI authoris ſiue Crantoris Cauillus.

MOtum quieſcere aliquando eſt poſſibile: atqui cœlũ motum eſt, igitur cœlum poſſibile eſt quieſcere.

SOLVTIO.

DIuiſionis deceptio fit: quippe quoniam perperam modus collocatus eſt.

EPICVRI Cauillus.

EPicurus nihil ultra ſenſum ueſtigans, ſolem eſſe pedaneum hoc argumento nititur comprobare: quod ſenſu cognoſcitur, id uere exiſtit, igitur quod ſenſu non cognoſcitur, non exiſtit, at ſenſu ſolem pedaneus uidetur, uere igitur pedaneus eſt: non tamen maioris magnitudinis eſſe percipitur, iccirco maiorẽ habere orbem q̃ pedaneum falſum eſt.

168

SOLVTIO.

DVpliciter peccat:in materia quidem,cum aliud ſit uideri, aliud eſſe. rurſus peccat ex fallacia conſequentis.

ZENONIS Cauillus.

INfiniti non eſt principium,infinitus eſt motus ſolis, quoniam ſuper continua magnitudine fit, igitur non habet principium,quod non habet principium,non fit, igitur motus ſolis non fit,quare ſol non mouetur.

SOLVTIO.

NOn fieri bifariam eſt: uel quia cum ſemper ſit, non indiget generatione,uel quia nondum ſit,motus non fit quia ſemper eſt,Cauillus uero probat de eo quod generãdum eſt,quod ſi principium non habeat,non fit,& ex conſequenti non eſt, deceptio eſt à ſecundum quid ad ſimpliciter.

DAMASCI Platonici Cauillus.

PRobaturus hic aduerſus peripateticos ſermonem non ad placitum eſſe, ſed à natura ſic ratiocinatur, homo natura eſt,quod ab homine fit à natura ſit, ſermo fit ab homine, iccirco fit à natura.

SOLVTIO.

NOminis illius Naturæ æquiuocatio eſt: ſi quidem natura duplex naturans & perficiens dicta,tum naturata & perfecta:probandum igitur erat ſermonem à natura fieri priore ſignificatione dicta, non autem ſecundum poſteriorem,quod tamen non efficiebatur.

DIONISODORI *Cauillus.*

VIderi ſapiens eſt utile, ſophiſta ſapiens uidetur, ſophiſtam igitur eſſe eſt utile.

SOLVTIO.

SI utile idem ſit ꝙ honeſtum maior falſa eſt, nec ſequitur ipſa concluſio. Si uero pro quolibet conferente ſumatur, maiorem ipſam & concluſionem concedimus.

ZENONIS *Cauillus.*

DIogenes Babilonius, & Chriſippus opinati ſunt (ut refert Galenus *in ſecundo libro de placitis* Hippocratis *&* Platonis *)* Zenonem *hac ratione commode & diligenter demonſtraſſe, cor eſſe mentis & rationis initium.* Ratio Zenonis *hęc eſt. Vnde procedit uox, inde & dearticulata uox &* Oratio *ipſa procedit: à ratione autem & mente oratio procedit, igitur & uox à ratione procedit. quòd ſi cerebrum eſſet rationis principium, uox à cerebro emitteretur: ſi uero uox à cerebro emitteretur, nō ergo per guttur emitteretur. Conſtat autem uocem non ex capitis ſedibus, ſed ex inferioribus cordis ſcilicet ſedibus per aſperam arteriam emitti à uoluntate noſtra, quare non cerebrum, ſed cor erit rationis principium.*

SOLVTIO.

ERrat Zeno*, quoniam fallacia æquiuocationis abutitur. nam (ut inquit & ipſe* Galenus *eodem in loco) ſecanda eſt illa præpoſitio græca ἀπὸ qua* Zeno *utebatur: quæ prępoſitio pro ἐξ & pro ὑπὸ ſiue ab ſolet uſurpari. non enim idem eſt ex aliquo fieri quod ab aliquo. Si igitur in* Zenonis *argumento ἀπὸ præpoſitio pro ἐξ aſſumatur, uera eſt oratio quæ ait, ꝙ ſi uox à cerebro tanquam ex ua-*

ſe emitteretur, non per guttur emitteretur: Si uero pro ὑπὸ in eadem ratione Zenonis aſſumatur ἀπὸ falſa eſt prædi-cta oratio. ſenſus enim eſt ꝙ ſi uox à cerebro tanquam à facultate emitteretur, nequaquàm per guttur emitteretur: ut deducit Galenus de lotio ac cæteris excrementis humani corporis.

SOPHISMATVM FORMA A præcedentibus longe alia.

Sciendum aliud eſſe decipiendi genus, quod in percunctationibus & reſponſionibus reiteratis utrinq; uerſatur. Fit hoc cum ſophiſta aliquid interrogat, hac una tantum ratione, ut ſocium decipiat, ad gloriam, non ad ipſum ueritatis ſtudium. Hic enim facilem primum quæſtionis ingreſſum præparat, blanditurq; primum aduerſario, eſcam, more piſcantium reſpondenti proponens, poſt diuerticulis quibuſdam procedens, aduerſarium propriis laqueis carpit, ita artificioſe & apparenter, ut manifeſtam habere redargutionem uideatur, nam & pugnantia dicere cogitur, & inconſtantem habere omnino ſermonem. Hoc genere arguendi non ad deceptionem, ſed ueri inquiſitionem delectatus eſt Socrates: præcipue autem hoc utebatur, ubi cum loquacibus ſophiſtis diſſertationem habebat, ut ſcilicet ſophiſtas propriis armis redargutionibusq; refelleret. Quod & in minori Hippia facit Plato, & in Protagora, ubi Hippiam ter quater ue, aut amplius pugnantia dicere cogit: Protagoram uero ita excandeſcere facit ut & pudore & iracundia totus flagraret. So-

phiſtę uero qui in hoc genere exercitationis maxime excelluerunt, fuerunt Prodicus, Meliſſus, Zeno, præcipue uero Parmenides ut Plato in ſophiſta teſtatur. Iis acceſſere Hippias Elienſis, Callias Hipponici filius, Paralus, Charmides Glauconis, Xanthippus, Philippides, Antimirus, Iccus Tarentinus, Selybrianus Herodicus, Pythocles Chius, de quibus mentio incidit apud Platonem in Protagora. Inter omnes uero maxime noti ſunt Euthydemus & Dioniſodorus, de quibus in litigioſo apud Platonem ſermo habetur. Hi enim cliniam confutant, deducendo ipſum ad manifeſtam redargutionem: quod genus ſophiſmatum, ut euitare interdum poſſimus libet, Cliniæ ac Euthydemi tum & Dioniſodori uerba ex Platonis litigioſo expromere, ait
„ enim Plato, EVTHYDEMVS, utri ſunt o clinia
„ homines qui aliquid diſcunt? ſapientes ne? an inſcii? Re-
„ ſponderat autem Σ clinias ꝫ ſapientes eſſe qui diſcunt, ad
„ quem Euthydemus: uocas præceptores aliquos an non?
„ aſſenſus eſt. an non præceptores, diſcentium præceptores
„ ſunt? quemadmodum cithariſta atq; grammaticus & tui,
„ & cæterorum puerorum præceptores fuerunt, uos autem
„ diſcipuli? conſenſit. cum diſcebatis, nondum ſciebatis hæc
„ eadem quæ diſcebatis? nondum. nunquid eratis ſapientes;
„ quando hęc ignorabatis? nequaquam. Si non ſapientes;
„ ignorantes igitur? omnino. uos ergo dum addiſcebatis,
„ quod ignorabatis ignoranteis diſcebatis? annuit adoleſcens.
„ ex hoc ſequetur, ut ignorantes diſcant ò clinia; non ſa-
„ pientes: ut ipſe putabas. Hactenus prima confutatio habetur, ſequitur modo confutatio ex altera parte quam Dio-
„ niſodorus ita proponit, ſunt enim uerba hæc, DIONISODORVS,

SODORVS, quid porrò ò clinia? quando aliqua recitat grammaticus, qui nam pueri illa prædiſcunt ſapientes ne an ignorantes? ſapientes inquit clinias, ergo ſapientes diſcunt non ignorantes, quare non recte Euthydemo paulo ante reſpondiſti. Tertia confutatio deinde à Platone proponitur cum duplicem queſtionem facimus, quod his uerbis declarat. EVTHYDEMVS, utrum diſcentes, quæ ſciunt, diſcunt an quę neſciunt? tunc clinias Euthydemo reſpondit eos qui diſcunt quæ ignorant perdiſcere, ſtatim ille eum quemadmodum & ante interrogauit, ſcis ne ipſe litteras? ſcio. non ne omnes? & omnes. quando aliquis recitat non ne litteras recitat? conceſſit, ergo quæ ſcis recitas, quandoquidem ipſe omnes ſcis litteras, admiſit & hoc, non ne diſcit, quę quis recenſet? aſſenſus eſt: an uero ignoras litteras diſcis? minime, immo ſciens diſco. non ne igitur quæ ſcis diſcis, ſiquidem omnes. ſcis litteras? annuit, non recte itaq; reſpondiſti. Quarta uero confutatio ita proponitur, ait enim DIONISODORVS, dic mihi, an non diſcere eſt, ſcientiam illius accipere quod quis diſcit? amiſit clinias. ſcire autem nunquid aliud eſt, quàm ſcientiam ipſam iam habere conceſſit. neſcire igitur eſt, nondum habere ſcientiam. dedit & hoc. utri rem aliquam capiunt? qui habent? an qui non habent? qui non habent. an non confeſſus es neſcientes homines ex illorum numero eſſe, qui non habent? annuit diſcentes igitur ex illorum numero ſunt qui capiunt non ex eorum qui habent? probauit. ergo qui neſciunt ò clinia diſcunt, non qui ſciunt. Hactenus Plato. Hoc genus deceptionis cum uerſutum ſit & callidum, indiget acutiore animi perſpicacitate, qua quis nec pugnantia

dicat, nec à præaſſumptis diſſimilia. ſit autem hoc ſi nihil reſponderit auditor, ſed iuſſerit ſophiſtam quæcunq; uult proponere ut proponat, deinde excogitabit ſolutionem: hoc genus reſpondendi maxime commodum eſt & tutum. Aliud ſoluendi genus ſit ſecando propoſitiones, & per diſtinctionem ad unamquanq; interrogationem ſophiſticam reſpondendo, ut ſcilicet cum ſophiſta proponat confutationem, uim contradictionis caute poſſimus ſubterfugere. Atq; hęc de interrogatoriis cauillis.

BERNARDINVS TOMITANVS candidis ſtudioſis.

VEſtra apud me Iuuenes opt. diligentia ac exiſtimatio plurimum ualebit. In cuius rem & ſi planè intelligam quàm exiguum ſit, quod nauare poſſum, grati animi mei propenſio, atq; hæc uoluntatis meæ ſignificatio cur non uobis uel iucundiſſima ſit futura? Repente ego huic me ſtudio appuli amico ingenio, natura hac mea ſanè ad uos iuuandos propenſa, tum uel maxime ad id negotii pietate ac clementia concitatus ueſtra. Vtinam tam illud commodo uobis feciſſe uidear, quam libenter atq; æquo animo prouinciam hanc ſuſcepi. Quamobrem uos omnes oratos uelim, ne plus iniquorum quam bonorum poſſit apud uos oratio: ne ue plus liuoris quam ueritatis ualeat authoritas. Interea omne meum ſtudium, omnem meam diligentiam, omnem ingenii mei dexteritatem ad id tantum operis impertiar, ut quantum in me uel induſtriæ uel cognitionis eſt, totum id uobis hoc tempore impendam: nul

lum remittendo tempus, quo aut conſilio, aut re iuuando uobis prodeſſe poſſim. Vos ut æqui ſitis facite. Nouarum *rerum fructibus, qui ex meo tenui animo innaſcuntur, date creſcendi copiam. Quod ſi feceritis ſanè in dies meliora afferendi optimum præſtabitis argumentum. Tum fructus diligentiæ meæ, qui uobis iam debentur, non contemnendos eſſe aliquando perſpicietis. quorum alterum ego libentiſſime præſtabo; alterum ut uos faciatis, propter incredibilem naturæ ueſtræ clementiam ne admonendi quidem eſtis.*

FINIS.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O.

Omnes ſunt duerniones.

Venetiis per Bartholomeum cognomento Imperatorem: & Franciſcum eius generum.

Anno M. D. XLIIII.

TABVLA HVIVS OPERIS.

LIBER PRIMVS.

Caput Primum. car. 1
Quid diſputatio proprie ſit, quot modis accipiatur, quid acti uæ partis & ſpeculatricis finis dicatur. Cap. ii. car. 2
Quid ſit Elenchus ſyllogiſmus, Captio quotuplex & cur Sophiſtica ratio dicta ſit. Cap. iii. car. 4
De conditionibus Dialectici, Metaphiſici ac Sophiſtæ: item de Sophiſtarum finibus quos terminos & metas uocant. Cap. iiii. car. 7
Quid Redargutio, Falſum, Inopinabile, Solœciſmus, Nugatio. cap. v car. 8
De Conſenſione, Diſſenſioneq; rerum uocum atq; conceptuum. cap. vi. car. 9
Quid ſophiſtica ſit propoſitio, rurſus quid ſophiſticus locus ac ſyllogiſmus, & quo nam pacto hæc differant. cap. vii. car. 11
QVÆDAM definitiones ex ſelectis locis Ariſtotelis recenſentur, apprime utiles huic inſtituto, tum pleraq; ad notatiōe digna paſſim excepta declarātur. c. viii. c. 12
Breuis diuiſio eorum omniū quæ in primo & ſecundo libro elenchorum Ariſtotelis tractantur. cap. ix. car. 15
Quæ in ſecundo elenchorum uolumine. cap. x. car. 15

LIBER SECVNDVS.

Eorum locorum enumerationes, qui uel in uerbo, uel in re

conſiſtunt. Cap.i. car.16
De Aequiuocatione.cap.ii. car.16
De Amphibologia.cap.iii. car.17
De compoſitione ac diuiſione.cap.iiii. car.18
De accentu.cap.v. car.19
De figura dictionis.cap.vi. car.21
De accidente.cap. vii. car.22
De ſecundum quid ad ſimpliciter.cap.viii. car.23
De ignorantia elenchi.cap.ix. car.25
De petitione principii.cap.x. car.26
De conſequente.cap.xi. car.28
De non cauſa ut cauſa accepta cap xii. car.29
De eo quod eſt plures interrogationes ut unam facere. cap.xiii. car.30

179

LIBER TERTIVS.

Quot modis ab authoribus ratio diluendorum ſophiſmatum inuenta ſit. Cap.i. car.34
Antiquus ſoluendi uſus.cap.ii. car.34
Recentiſſimorum ſoluendi ratio.cap.iii car.34
Quonā pacto id alii præſtiterint ſed incōmode.ca.iiii.c.35
Idem duplici methodo quàm diligentiſſime addidit Ariſtoteles.cap.v. car.35
Oſtēditur omnes etiam ſyllogiſmorum diſſolutiones, ex Ariſtotelis dogmatibus, poſſe ad unicam ſedem enumeratarum referri.cap.vi. car.35
Quo pacto omnia ſophiſmata per diſtinctionem infirmentur, ſumpto exemplo à ſophiſmatis diſſolutione; quam

Ariſtoteles tribuit in poſterioribus.cap.vii. car.36
Propoſitam methodum,ex uariis Platonis locis ſelectam,utilem & accõmodatam eſſe oſtenditur ad diluendos paralogiſmos.cap.viii. car.40
Idem ex ſophiſta,uel de ente oſtenditur.cap.ix. car.41
Eadem ſoluendi ratio ex Protagora in medium affertur. cap.x. car.42
Quædam uetuſtiſſima cauillorum exempla, ad exercitationem ſoluendi recenſentur.cap.xi. car.45

Digitized by Google

IACOBVS FACINVS FELTRENSIS IVR. DOC. TIRONIBVS DIALE TICÆ FACVLTATIS. S.

IN TIRONES Optimi ſcutum, & galeam: Quibus a uanis ſophiſtarum petitionibus tueri uos facile ualeatis: Hoc enchiridio omnes eorum fallaciæ deprehenduntur, nodi ſoluuntur, uincula franguntur, poſtremo, ſophiſmata omnia euacuantur: Hunc igitur libellum appręhendite, ſtudioſe in eius lectionem incumbite: e manibus ueſtris non decidat: ſed illum ut inquit diuinus ille poeta, nocturna uerſate manu, uerſate diurna. ab hoc (ſi cupitis in diſceptationibus uincere) diſcetis uos minime ſuperari poſſe: quę enim uariis et diuerſis dialeticorum, ac philoſophorum libris ſparſim legebantur, hoc uno pulcherrimo ordine diſpoſita complectuntur. vnde a uobis labor perquirendi ademptus, & temporis (quo nil præcioſius) amittendi ſublata erit occaſio: quo fit ut (ſi uitium ingratitudinis effugere uelitis) gratias auctori agere nō modicas, et obſtrictoſq; uos eſſe fateri teneamini: qui tamen (ſuo in uos ſtudio) nil a uobis expetit, niſi ut hilari benignoq; animo munus ipſum ſuſcipiatis, hoc (ſi perſpexerit) contentus: exindeq; calcaria ei addita ad maiora pro ueſtro commodo excudenda facile cognoſcetis.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE